NORMA
PROBATIONIS APOSTOLICÆ
activè sumptæ
Seu
VITÆ
APOSTOLICÆ
PARS II.

In qua ostenduntur modi & industriæ probandi instruendi, ac instituendi quoscunque Novitios ad imitationem & methodum CHRISTI Domini probã-tis, instruentis, ac instituentis Apostolos, Discipulos, ac Novitios suos.

a


M. JACOBO RADLINSKI, Sacræ Theol: Doct: Canonico Regulari Sacrosancti Hierosolymitani Sepulchri CHRISTI Dñi, Præposito Lezays:

LUBLINI
Typîs Collegii Soc: JESU Annô 1732.

In Stemma.

PERILLUSTRIS REVERENDISSIMI

DOMINI.



Quos gravibꝰ bellis profert CRUX ista triūphos

Hos Cæli Superis mox TUBA clara canit.

PERILLUSTRI
&
REVERENDISSIMO D.
D. STANISLAO
STĘPKOWSKI
Ordinis CANONICORUM REGULARIUM CUSTODUM Sacrosancti Hierosolymitani SEPULCHRI CHRISTI DOMINI PRÆPOSITO GENERALI

Domino & Benefactori Singularissimo.

Erem: Camaldul ppe Varsaviam

POst litatas DEO optimo Maximo hostias, post exhibitũ Illustrissimæ CRUCI POTOCCIANÆ & CAPITI LESZCZY-

SZCZYNIANO *homagium, Tuæ tandem* CRUCI, *filialis gratitudinis tributum offero.* Perillustris & Reverendissime PRÆLATE. *Cui enim potiùs* Norma Probationis *debebatur, quàm PRÆLATO ex omni parte probatissimo? cui Vitæ Apostolicæ exemplar justiùs competebat, quã Tibi Vitæ Apostolicæ in Ordine nostro Observatori; imò verius FUNDATORI.*

*Prima Vitæ Apostolicæ nota est, homines piscari & Oves*CHRISTI *pascere, non tantum verbi, sed etiam operis exhibiti exemplô. Et hoc muneris Apostolici obsequiũ exactissimè; implevisti; quorũcũq; enim Cõventuũ, & Ecclesiarũ regimen tenuisti, ubiq; fertilissima, amplissima & suavissima pascua Ovibus Tuis providisti. Et hæc pascua tua,*

in

in tres quaſdam claſſes diviſiſti; prima erant paſcua charitatis; ſecunda lenitatis; tertia prudentis & moderatiſſimæ liberalitatis. Exhibuiſti primo paſcua charitatis; quia quidquid in tota vita tua, ac per totum Religioſæ Profeſſionis tempus egiſti, omnia non ex vanæ gloriæ ſtimulo, ſed ex charitate DEI & proximi perfeciſti: unde ex charitate ſuſcepiſti munus Magiſtri Novitiorum, ex charitate regimen EccleſiæGrodziſcenſis, tum Chełmenſis acceptâſti; ex charitate pariter clavum Conventus Gneſnenſis, & ſtallum Eccleſiæ Metropolitanæ adornâſti, ex charitate tandem onus Cuſtodis Generalis in tot & tam difficillimis in Ordine noſtro revolutionibus, feliciſſimè adminiſtrâſti. Expiravit Tibi primò Præfectura Cu-

ſtodis Generalis, eam penitus reſignâſti, ſed charitate coactus iterum ſuſcepiſti; exſpiravit ſecundò, iterum liberè ceſſiſti honori, ſed non ceſſere vota Patrum, iterum Tuæ charitati ſe ſubmiſerunt; exſpiravit tertiò, quartò, quintò, &c. ſed non exſpiravit Tua Charitas, quæ in aliis refriguerat: omnes enim libenter conſulebant, dextrè, animum & ſtimulos regendi addebant, ſed ſinguli, pericula, ſumptum, labores & diſcrimina, quæ per hoc regiminis & præſentis revolutionis circa jura Ordinis, tempus, ſperabantur & evenerunt, à longè cavebant. Tu ſolus, & anxietates regendi, & incommoda viarum & ſcrutinia jurium privilegiorumq; & ſūptum notabilem pro tam diuturno & memorabili negotio impendiſti, il-

lis

lis ad totam communitatem frequenter utens verbis : Ut jumentum factus sum apud Te. *Exhibuisti præterea pascua lenitatis; quia tam longum regiminis tui spatium ita svaviter, benignè, & affabiliter disposuisti, ut Te nemo senserit nimis severum, nemo nimis clementem, sed utrumq; hoc, prudentissimè componentem & exequentem. Veniebant ad Te partim deficientes variisq; infirmitatibus delinquentes, partim proficientes, exactèq; Regulam, & statuta Ordinis adimplentes: sed hos omnes ita prudenter exaudîsti, ut nec defectibus patrocinium dares, nec proficientibus stimulũ ulteriorem adimeres. Timebant plerumq; delati, & sua quẽque conscientia accusabat; sed dum Tuum subivere judicium, lætati*

 sunt

ſunt ſupra modum, quòd & peccatis
ſuis pænam, & ſuæ fragilitati di-
ſcretionem proportionatiſſimam a-
gnoverint. Exhibuiſti tandem præ-
fatis ovibus tuis paſcua liberalita-
tis, ſiquidem eleemoſynis impleviſti
hoſpitalia, dotibus & proviſionibus
Cathebumenos ac Neophytos, Stipẽ-
diis Orphanos, extrema neceſſitate
laborantes omni abundantiâ, ſatiâſti
Cũ tamẽ tot & tãta præſtares, nolui-
ſti canere TUBA gẽtilitiâ ante Te ſed
omnẽ vocẽ ac tenuẽ etiã ſonũ popu-
laris auræ obtruſiſti, ſuffocâſti, ſup-
preſſiſti; contentus hôc, quòd ſupe-
ros non lateret Tua effuſa municẽ-
tia. Quid dicam de cõtinua circa Fi-
lios Ordinis ac Tuos, providentiâ?
plura deberem volumina implere ſi
hoc deſcribere vellem, qui horum
ignarus eſt, me teſtem oculatum re-

qui-

quirat, per cujus manus effusa in plurimos, ac in me ipsum fluxere beneficia.

Altera vitæ Apostolicæ nota seu indicium est, fundare ac ædificare Ecclesiam, sic Petrus Apostolus Romanam & Antiochenam; Jacobus Minor Patriarcha & primũ Caput Ordinis nostri, Hierosolymitanam, Andreas Scythiæ, Epiri, Thraciæ, & Achaiæ; Bartholomæus Indiæ citerioris, & alii alias fundârunt Ecclesias. Et hoc Vitæ Apostolicæ specimen Tu sapientissimè implevisti, quia Ecclesiam Bithomiensem à fundamentis de latere cocto fundâsti; alias verò uti Miechoviensem, Gnesnēsē, Cracoviēsē, Charzoviēsē, tũ quoq; Conventũ Generalem Miechoviensem post ferale incendium, variîs structurîs, ædificiîs, turri-

bûs ac pretiosissimîs apparatibûs adornâsti & dotâsti. Quis horum omnium expensas & regestra computabit? multa pro his omnibus millia impensa sunt, milleno circa computationem opus esset labore & industriâ; maximè ex eo, quòd Tu FUNDATOR *liberalissime tantum studeas grandia opera Tua latere, quantum & facere. Non possum tacere parem Ecclesiis fundationem studii Cracoviensis Tua authoritate, Studio ac sumptu erecti, stabiliti, & confirmati: verè ibi tot templa & Ecclesias, quot Theologos & Philosophos fundâsti: quando enim hi omnes in eodem studio sufficienter edocti, dividentur in varias partes Regni & Provincias, de facto ubiq; comparebunt tanquam templa DEI & Ecclesiæ; & deinde illi*

alias

alias ſupra ſeipſos ædificabunt, fũdabunt, ac erigent Eccléſias: conſequenter dum unum ſtudium Cracovienſe fundâſti, eo ipſo innumeras Eccleſias erexiſti, & non tantum unum Conventum Cracovienſem, ſed alios quoſcunq; Ordinis noſtri Conventus, hac ratione & modo perenniter decorâſti. Ex illo enim Conventu & ſtudio Cracovienſi, dum educata in bonis religioſiſq; moribus, exercitata in ſcientiis ingenia prodibunt, tunc ſine dubio aliis inſervient vel præſidebuut partim Conventibus partim Eccleſiis: taliter autem præſidebũt & taliter præfulgebũt, qualiter edocti fuerint. Hoc verò totum à Te, tanquam à fonte & capite dimanat. Nec ſatis Tibi erat ſtudium ipſum erigere, etiam ſumptuoſiſſimum pro Theologis

&

& Philosophis Athenæum exstruxisti, ut ostenderes eos dignos esse honestis & commodis domiciliis, qui postea Regis Regũ palatia, Cathedras & rostra suîs sciẽtiîs sũt exornaturi.

Tertia Vitæ Apostolicæ nota est, nolle possidere aurum & argentum, neq; pecuniam in Zonis, neq; peram in via, neq; duas tunicas &c. &c. Et quis Te promptius tam strictissimum muneris Apostolici Officium executus est? Tu enim quamvis aurum & argentum seu proventus totius Ordinis communes, regas & disponas; quamvis tum ex privata industria, tum ex Tuo patrimonio sortem notabilem habueris & Ordini intuleris, tamen circa hæc omnia ita Tegeris ac gessisti, ac si nihil haberes, ac si nihil possideres, imo cum tantum pro Ecclesia, indigentibus,

pau-

pauperibus, orphanis, & extrema necessitate laborantibus expendisti & quotidie expendis, signum est quod nolis possidere aurum & argentum: cum pariter tot vestimentis nudos cooperuisti, & tot altaria apparatibus exornâsti, signũ est, quòd affectivè & in animo, contentus fores etiã unâ attritâ tunicâ si hoc ministerii tui authoritas pateretur. Et si veritatem fatear, aliquando vix penes unicam eamq; postremam remanes tunicam, dum meliores & nobiliores indigentibus distribuis, paratus exemplô tot Virorum Apostolicorum, extremum etiam vestimentum cum pauperibus exdividere.

Quarta eaq; principalis & cardinalis vitæ Apostolicæ nota ab antiquo & à primis tam Ecclesiæ quàm Religionum incunabulis observata

fuit

fuit hæc: ut Viri Religioſi Inſtitutum Apoſtolicum vel quodcunq; aliud profitentes per ſuos ſuperiores de gremio Religionis ac Profeſſionis, liberè electos regerentur; hoc totum in Ordiue noſtro prope per duo ſæcula fuit interruptum, & plane jam abolitum? ne autem hoc ipſum foret perpetuo ſublatum, egiſti apud S. Sedem Apoſtolicam ſummîs laboribûs, ſollicitudine, ſumptibûs, & tandem eviciſti, ut per repetita Sacræ Congregationis Decreta, libera electio PRÆPOSITI GENERALIS *de gremio Ordinis, firmaretur. Et quia Sanctæ Sedi Apoſtolicæ non ſatis erat decernere, niſi etiam exequeretur: mandævit per tot Deciſiones ſubſequentes, Bullaſq; per extenſum expeditas, ut tandem Capitulum Miechovienſe ad electionem*

PRÆ-

PRÆPOSITI GENERALIS
Clauſtralis deſcēderet. Ad hāc dū vigeſimâ Octobris, Anni currentis, deventum eſt; ſtatim unanimi voce, calculô, & ſuffragiis electus ſtetiſti in PRÆPOSITUM GENERALEM *Ordinis Noſtri. O quantum exultavit protunc univerſi Ordinis facies quando Te ad ſupremum regimen feliciter electum audivit! O quantum gaviſa eſt triſtis per tot annos, Religio, quando ſub Tuis faſcibus ſe militaturam, & triumphaturā cognovit! O quātis lætitiæ ſignîs repletæ ſunt ſingulæ Provinciæ, tam domeſticæ, quàm finitimæ & extraneæ quando Te proportionatum membris ſuis* CAPUT *videre meruerunt. O quanto nunc ſuperabūdaret gaudio Joannes* JAXA *Serbiæ Principum decus, Sacroſan-*

cti

cti Sepulchri Christi ſtrenuiſſimus ex Polonis Propugnator, & primus FUNDATOR *Ordinis noſtri in Polonia, ſi modo reviviſceret, & videret primam ſuam fundationem ad primum redire Ordinem, & antiquum ſtatum ſuum. Parî modô arriderent factumq; approbarent Sereniſſimi & piiſſimi Poloniarum* REGES, *qui pro libera electione* GENERALIS Præpoſiti *de gremio, tot Privilegia & jura dederũt. Quid dicam de aliis liberaliſſimis Fundatoribus & Benefactoribus, quorum intentiones ſaltim in aliqua parte ſui, ſunt modò reſtitutæ ac renovatæ. Gratiſſimum id fuit etiam Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Sanctæ Sedis Apoſtolicæ* NUNTIO; *hic enim dum Authoritate Decretorum, plurium Summorum Pantifi-*

cum,

um, videlicet CLEMENTIS XI. INNOCENTII XIII. BENEDICTI XIII. & CLEMENTIS XII. *feliciter moderni, præfatam electionem omnino effectuandam demãdaret, expressit in aliquot Epistolis suis desiderium suum, se velle & cupere Tibi, hanc dignitatem congratulari.. Ita ubiq; est notissima meritorum Tuorum amplitudo, ut etiam ad Romanos colles & Magnos S. Sedis Apostolicæ Nuntios pervenerit! O quantum adhuc notior esset, si concederes Famæ publicæ, ut gentilitia* TUBA *Tua magnitudinem operum & virtutum Tuarum resonaret. Sed sicut per totam vitam Tuam prope ad annos octoginta extensam nunquam solitus fuisti canere* TUBA *ante Te quidquid bene feceris; ita per hoc reliquum ,*

Præla-

Prælaturæ Generalis spatium, non admittes hos plausus, sed gentilitiâ TUBA *uti conaberis, ad resonandam DEI gloriam, ad promulgandam S. Sedis Apostolicæ gratiam, ad commemorandum Tibi (exemplô S. Hieronymi) extremi Judicii diem, ad excitandam tepidorum (si quos inveneris) ariditatem, ad defendēda, manutenenda, & confirmanda Ordinis Nostri jura, cum diuturna & pacatissima annorum longitudine. Ita precatur.*

Perillustris & Reverendissimæ
Dominationis Vestræ
Servus humillimus

M. JACOBUS RADLINSKI Canonicus Regularis S. Sepulchri,

APPRO-

APPROBATIO
Illustrissimi Ordinarii.

ANDREAS
in Prussy
PRUSKI,
Episcopus Tanensis, Archid: Cathedr: Vicar: in Spiritual: & Offic: Generalis Premisliensis.

LIbellum præsentem, qui *Normam Probationis Apostolicæ activè sumptæ* pro titulo præsefert, ab aliquot Theologis ac eruditis Viris revisum & recognitum, cum omnia in eo contenta Sanctum complectantur modum, quo anhelantes ad Religiosam Vitam ducti, suæ Vocationis portum faciliùs attingere, & bravium æternæ beatitudinis consequi valeant; ideo ad Majorem DEI Gloriam & novarum plantarum in vinea Domini exercitationem, prælo mandandum censemus. Premisliæ die 3. Maji. 1732.

ANDREAS PRUSKI Ep:
(L.S.) Tanens: Suffr: Offic: Generalis Premisl: mpp.

APPROBATIO ORDINIS.

OPusculum cui titulus: *Norma Probationis Apostolicæ activè sumptæ*: ab Admodum Reverendo Patre JACOBO RADLINSKI Sacræ Theologiæ Doctore, Canonico Ordinis Nostri, præposito Lezayscensi conscriptum; cum nihil fidei Catholicæ contrarium habeat; sed potiùs omnibus Magistris ac Directoribus, Normam seu modum probandi instruendiq; Novitios porrigat; ideo Typis dandum esse censeo, si illis ad quos pertinet ita videbitur. Datum in Conventu Generali Miechoviensi die 16. Februarii Anno 1732.

STANISLAUS STĘPKOWSKI. Ord: Canonic: Regular: Custodum S. Hierosolymitani Sepulchri Congr: Miechov: Custos Generalis. mpp.

(L.S.)

PRÆFATIO
Ad Lectorem.

QUod in graviſſima olim infirmitate conſcripſeram Opuſculum; hoc in altera pari infirmitate limatum, ac mundatum tibi offero Amice Lector. Quidquid ergo hìc debile, poſtremum vel infirmum reperies, parce precor ſimplicitati meæ, quia totum quidquid vides, partus infirmitatis eſt. Cùm enim ſtante præfata utraq; infirmitate Theologicis laboribus inſufficiens eſſem; hoc me labore diſtrahendum & occupandum eſſe cenſui, ut ſic vel moleſtias continuò debilis va-

letudinis

letudinis fallere, vel otium effugere possem. Porrò primam Partem Vitæ Adostolicæ de Vocatione Apostolica tractantem, proposui Anno Dñi 1725. in Opusculo cui titulus: *Norma Vitæ Apostolicæ*: Nunc animus est proponere tibi Partem Secundã Vitæ Apostolicæ, de Probatione Apostolica, deducenda ex Apostolis. Sicut autem vocatio, ita & Probatio Apostolica duplex cogitari potest, una activa, alia passiva. Probatio Apostolica activa, sunt omnes actus illi, exercitia & modi, quibûs ipse Christus Dominus probavit Apostolos, potestq; vocari Probatio tenens se ex parte Christi Domini. Probatio autem passiva, sunt omnes actus illi, exercitia, & modi, qui-

bus

bus Apoſtoli abſolvebant, & ſu-- ſtinebant, Probationem ſeu Novitiatum ſub Magiſterio Chriſti Domini, poteſtq; vocari Probatio tenens ſe eo parte ipſorum Apoſtolorum. In hac ergo Parte ſecunda agemus de ſola Pro-- batione Activa tenente ſe ex parte ipſius Chriſti Domini; nimirum oſtendemus Normam probandi Novitios, ex Norma illa, methodo, & forma quâ Chriſtus Dominus probavit Apoſtolos Novitios ſuos. Quæ doctrina ut ſit clarior, adducemus etiam exempla ex Patribus veteris te-- ſtamenti, quibus præfati Patres probati ſunt à Deo Optimo maximo adhuc ante propoſitam legem Evangelicam. Ex hoc autē utroq; ſtatuemus modos, doctri-

nas & regulas generales, qualiter omnes Magiſtri debeant probare ſuos Novitios: hic enim in intentum noſtrum non aliud eſt, niſi oſtendere modum, praxim, & Normam, quomodo? qualiter? & quali ratione poſint & debeánt Magiſtri probare ſuos Novitios.

Quia verò omnis Probatio & omnis in univerſum Novitiatus, diverſa in ſe tempora continet, videlicet unum tempus ante ſuſceptionem habitûs religioſi, alterum tempus poſt ſuſceptionem habitûs religioſi, tertium in ulteriori progreſſu annuæ probationis, quartum tandem ante ipſam Profeſſionem, juxta ſtatum incipientium, proficientium, ac perfectorum: ideo hic

in

in primo capite dabimus modos probandi Novitios ante ſuſceptionem habitûs religioſi: in ſecundo dabimus modos probandi poſt ſuſceptionem: in tertio dabimus modos probandi in progreſſu ùlteriori annuæ Probationis, in quarto, quinto, 6to & 7mo, reliqua huc ſpectantia adferemus.

Antequã autem hæc omnia proponemus; in his tribus Lectorem præcautum eſſe volo. *Primum* quòd dum hìc trado varios modos & induſtrias probandi Novitios, hos & has omnes non propono Magiſtris perfectis, practicis, & conſummatis, & ſub quibus ego ipſe, etiam hodie diſcipulus ac Novitius eſſe pro magna felicitate mea ducerem, ſed potius illis, qui ſunt in via ad

 tra-

tractandum, & exercendum supra Novitios Magisterium: quanquã & hos docere magistraliter non intẽdo, nec mihi tantum scientiæ vel capacitatis præsumo, ut illos sufficienter docere possim, sed tantum modos tanquam instrumenta quædam ad probandum necessaria propono. *Secundum.* Quia verò modos & industrias probandi adfero ex multis sacræ scripturæ locis, tũ novi tũ veteris testamẽti & exadductis exẽplis infero similiter probandos esse Novitios: ideo præcaveo hanc similitudinem proportionemq; probandi, non esse accipiendam in omni ea paritate & modo, sicut vg. probavit Deus Patres veteris testamenti, aut Christus Dominus suos Apostolos, sed tantum

tum, quantum permittit ſtatus, ſphæra, & conditio humana, non enim omne illud quod licet Deo, licet homini; ſic vg. licuit Deo probare Abraham per occiſionē & immolationem filii unigeniti, hoc autem non licet Magiſtro; pariter licuit Deo probare Job permittendo in eum ſathanam, hoc autem nemini hominum licet. Quando igitur hic ex modis probandi, tum à Deo tum à Chriſto Domino uſitatis, concludimus regulas, praxes & induſtrias probandorum Novitiorum hæc omnia ſemper intelligenda ſunt non abſolutè, non omnimodè, ſed juxta ſphæram & proportionem naturæ humanæ.

Tertium in quo Lectorem præcautum eſſe volo, eſt error quo-

quorundam Hæreticorum qui (ut Divus Augustinus refert) *affirmabãt non licere Christianis proprias opes & facultates possidere, neq; posse eos salvos fieri qui more Apostolorum & Religiosorum pauperes non essent. Itaq; ea quæ Christi Ecclesia semper intellexit esse consilia, ipsi præcepta esse voluerunt, atq; id circo sectatores suos, specioso nomine, Apostolicos nominaverunt.* Ita Bellarminus Concione quinta de tribulatione pagina 615. Similia habet de eodem errore Bartholomæus Durand: in lib. primo, Articulo 63. pagina. 165. ubi sic refert. *Regnante Severo Imperatore, videlicet Anno 200. & Ecclesiam DEI regente Victore primo hujus nominis Papa, emerserunt (teste D Augustino*

gustino

gustino lib. de hæresibus cap. 40.) quidam viri, qui se dixerunt Apostolicos; hocq; nomine appellari voluerunt, quia in suam communionem non recipiebant utentes conjugibus, resq; proprias possidentes, & vitam Apostolicam ducere gloriabantur: Erant tamen hæretici, quia docebant eos solvari non posse, qui non viverent in Cælibatu & paupertate: credebant enim ea, quæ in Evangelio perhibentur esse præcepta, nullumq; in lege gratiæ esse consilium & sic spem salutis tollebant omnibus pecuniam recipientibus aut aliquid in crastinum servantibus. Eandem hæresim suscitavit Anno 1295. Gerardus Sagarellus de Parma, qui hujus erroris convictus vivus tandem exustus est. Hunc velut discipulus

Magi-

Magistrum secutus est Dulcinus Novariensis, qui cum uxore sua Margareta ejusdem criminis conscia & damnata suo authori similem mortem perpessus est.

Hunc errorem hæreticorum qui se Apostolicos vocabant, hoc fine retuli: Quando impressi Opusculum meum sub titulo: *Norma Titæ Apostolicæ*: in illoq; Ordinem Canonicum, appellavi *Ordinem Apostolicum*; aliqui hunc titulum invidentes dicebant, nomen & titulum Apostolici esse prohibitum, quia damnati sunt hæretici, qui præsumebant vocari Apostolici. His ergo omnibus respondeo, quod Apostolici & eorum doctrina ideo prohibita est, quia illi docebant, quòd non liceat Christianis proprias

opes

opes possidere, & quòd salvari non possent, si more Apostolorum & Religiosorum paupertatem non servarent. Unde illi omnia consilia Christi, dicebant esse præcepta, ut constat ex Eminentissimo Bellarmino; & Bartholomæo Durand: hujus autem doctrinæ, nec unica scintilla reperitur in præfato Opusculo meo pariter nec in præsenti, nec in sequentibꝰ. Ego enim in Norma Vitæ Apostolicæ, propono & persvadeo imitationem Vitæ Apostolicæ juxta sensum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non autem juxta doctrinam hæreticorum, qui præsumebant nominari Apostolici, nullibi enim trado hanc doctrinam, quòd Christianis non liceat opes proprias possidere, vel

quod

quòd salvari non possint, nisi servent paupertatem more Apostolorum & Religiosorum, vel quod consilia Christi Domini sint præcepta: sed tantum repræsento & adfero Lectori virtutes Apostolorum, ab illis exercitas & effectuatas, simulq; excito Lectorem ad imitationem earundem Virtutum Apostolicarum ut per præfatam imitationem evadat Vir Apostolicus. Quod autem nomen & titulus Apostolici non sit prohibitus, constat ex eo, quia Sancta Sedes Romana, vocatur Apostolica, & plurimi Doctores, Pastores, ac Prædicatores, Zelum Fidei Apostolicæ promoventes tuentes & ampliantes, cōmuniter vocantur Viri Apostolici. Quid ergo mirum si Ordo

Cano-

Canonicus dicatur Ordo Apoſto-
licus? cùm & originem ſuam ducat
ab Apoſtolis, & vitam Apoſtoli-
cam pro poſſe conetur imitari?

Addo præterea. Apoſtolici
dupliciter cogitari poſſunt, alii
antonomaſticè tales, alii non an-
tonomaſticè tales. *Apoſtolici An-
tomaſticè tales*, ſunt illi, qui per
cognomen Apoſtolicorũ ſimpli-
citer ſine addito prolatum, ordi-
nariè intelliguntur, & tanquam
peculiari nomine ſic appellantur;
ſicut *Angelicus* antonomaſticè ta-
lis eſt ille, qui per hôc nomen
Angelici ſimpliciter & ſine addito
prolatum, ordinariè intelligitur
ſcilicet S. Thomas Aquinas! parî
modô hoc nomen: *Subtilis* ſim-
pliciter prolatum ſignificat Joan-
nem Scotum; tandem hoc no-

men

men *Philosophus*, significat Aristotelem, ex communi consensu Doctorum, licèt hoc nomẽ competat etiam tot aliis multis. Unde cõmuniter Theologi citantes authoritatem & doctrinam horũ Authorum, hîs verbîs simpliciter prolatîs, eos exprimunt: *ita Angelicus: ita subtilis: ita Philosophus. Apostolici non antonomasticè tales* sunt illi, qui licèt in aliquo sensu sint etiam Apostolici, tamen per hoc nomen Apostolicorum, simpliciter sine addito prolatum non intelliguntur, neq; hoc nomine ut suo peculiari appellantur, sed potius alio nomine appellantur: sicut *Angelicus*, non antonomasticè talis est ille, qui licet sit in aliquo sensu *Angelicus*, non intelligitur tamen per

hoc

hoc nomen Angelici, ſimpliciter & ſine addito prolatum nec appellatur hoc nomine tanquam ſuo peculiari qualis eſt vg. S. Joannes, qui propter innocentiam & virginitatem ſuam, vocari poteſt *Angelicus* ac multi alii qui angelicè vixerunt. Apoſtolici ergo Antonomaſticè tales ſimpliciter & ſine addito prolati ſunt illi hæretici, qui docebant quòd Chriſtianis non liceat proprias opes poſſidere, neq; poſſe eos ſalvari qui more Apoſtolorum & Religioſorum non viverent; & iidem hæretici per hoc nomen: *Apoſtolici* ſimpliciter & ſine addito prolatum intelliguntur & hoc nomine tanquam ſuo peculiari nominantur. Apoſtolici autem non Antonomaſticè tales, ſunt

in

in universum omnes Servi DEI, qui vitam, mores & institutum Apostolicum imitati vel amplexi sunt, juxta sensum, doctrinam & traditionem S. Romanæ Ecclesiæ. Et tali nomine passim appellantur Canonici Regulares, tum ex eo, quòd originem suam ducant ab Apostolis, ut deduxi prima Parte Vitæ Apostolicæ: tum ex eo, quòd vitam Apostolorum pro posse & fragilitate humana conentur imitari, cæterùm hoc nomen non solis competit Canonicis Regularibus, nec illi hoc nomine tanquam peculiari utuntur, sed etiam aliis servis DEI. Sic vg. S. Augustinus vocatur Vir Apostolicus, quia de eo in vita ipsius dicitur *& cepit vivere secundùm Regulam sub Sanctis Apostolis*

postolis

postolis constitutam : & Regula ipsius passim vocatur Apostolica. Sic S. Stephanus Rex Hungariæ pariter vocatur Vir Apostolicus, imò Apostolus, quia Regno suo invexit fidem Apostolicam, totumq; Regnum ipsius vocatur Apostolicum propter susceptam eandem fidem, sic S. Franciscus Seraphicus vocatur passim Vir Apostolicus, quia Apostolos in paupertate, humilitate, & obedientia exactissimè imitatus est. Idem quoq; dicitur & de Sancto Dominico zelosissimo & ardentissimo fidei Defensore & Hæreticorum Profligatore strenuissimo. Tandem Sanctus Franciscus Xaverius vocatur Indiarum Apostolus, & S. Patricius Hiberniæ; quia uterq; plurimos populos per

labo-

labores Apostolicos Ecclesiæ aggregavit. Ex his, ergo tam fusè adductis evidenter patet, quòd nomen & titulus Viri Apostolici non sit prohibitus, sed licitissimè usitatus: quare nullum est inconveniens etiamsi aliquando Ordo Canonicus, vocetur Ordo Apostolicus propter rationes superiùs allatas.

CAPUT I.

CAPUT I.

De Probatione Novitiorum ante suceptionem Habitûs Religiosi.

Quoniam in hoc Capite multa se offerunt dicenda, ideo illud in aliquot Paragraphos dividem9

Proinde sit

§ I.

In quo proponuntur aliquot modi probandi Novitios ante susceptionem Habitûs Religiosi.

PRimus Magister & caput Supremum Novitiorum in lege gratiæ, est ipse Christus Dominus; juxta illud scripturæ: *Vos vocatis me Magister, & Domine & bene dicitis, sum etenim.* Joan 13. Primi sub hoc tam excellenti Magistro Novitii erant Apostoli, utpote ab illo vocati, instituti, & probati, juxta illud S. Pauli testimonium: *Exhortatio enim nostra non de errore, neq; de immunditia, neq;*

in dolo, sed sicut probati sumus a DEO, ut crederetur nobis, evangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed DEO, qui probat corda nostra, De hac probatione seu Novitiatu Apostolorum videtur cecinisse Psalmista dicens: *Quoniam probâsti nos Deus: igne nos examinâsti, sicut examinatur argentum: Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super Capita nostra. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* In hoc itaq; fundamento, quod & Christus Dominus fuerit Magister probantiũ Apostolorum, & quod Apostoli fuerint Novitii sub Magisterio Domini, totum exemplar & normam dabimus, quomodo Magister debeat probare Novitios: proinde quoscunq; hic modos seu industrias probandi adferemus hos & has omnes desumemus ex Christo Domino probante Apostolos: reliqua deducemus ex Patribus veteris testamenti, quorum plurimi fuerunt figura vocationis Apostolorum. His præmissis jam sequuntur modi probandorum Novitiorum.

Primus

Primus Modus probandi Novitios ante susceptionem Habitus Religiosi, est serium examen & diligens inquisitio ante susceptionem facienda circa hæc, quæ Apostolico religiosum concernunt statum. Et tali modò probavit Apostolos ipse Christus Dominus, tum ab initio vocationis & aspirationis Apostolorum, ad statum & Ministerium Apostlicum, tum in ulteriori progressu probationis Apostolicæ. De examine & inquisitione facta ab initio vocationis, constat Matthæi 20 Cap; ubi cum Mater Filiorum Zebedæi veniret cum Filiis suis, & peteret eum: ut sederent filii, unus ad dextram, alter ad sinistram in Regno Christi, tunc Christus Dominus audita hac oratione immediate descendit ad examen & apertam inquisitionem, utrum prædicti filii possint ferre hæc onera, quæ professioni Apostolicæ, & ipsi Christo Domino imminebant; quærendo ex ipsis sensum & voluntatem disertis verbis his: *Potestisne bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* hoc est: potestisne tanta & talia pati, quanta & qualia ego passurus sum? potestisne ferre proditionem ve-

ſtram, accuſationes, teſtimonia falſa, judicia iniqua, virgas, flagella, contemptus, irriſiones, ludibria crucem ac mortem ipſam, quam ego pro ſalute mundi ſuſcepturus ſum? Ad hanc quæſtionem & inquiſitionem cum affirmative reſponderent prædicti filii; & offerrent ſe libenter hæc omnia ſuſcepturos & paſſuros, tunc Chriſtus Dominus ſuſcepit eos ad Societatem paſſionum ſuarum, & peragendam probationem Miniſterii Apoſtolici. De inquiſitione facta in ulteriori progreſſu probationis & Vitæ Apoſtolicæ conſtat ex Ioannis 21 cap: Ubi pariter diligentem inquiſitionem fecit Chriſtus Dominus ex Petro Apoſtolo, & quidem non tantum ſemel ſed repetitîs vicibûs, interrogando eum de dilectione & amore erga ſe ipſum; ſic primo interrogavit eum hîs verbîs. *Simon Ioannis diligis me plus his?* reſponditq; Petrus; *etiam Domine tu ſcis quia amo te?* & licèt tam clare declaraverit ſuum amorem Petrus in Chriſtum iterum eum interrogavit dicens: *Simon Ioannis diligis me?* reſponditq; Petrus ſine hæſitatione: *etiam Domine, tu ſcis*

quia

quia amo te Neq; hac ſecunda declaratione amoris contentus eſt Chriſtus Dominus, ſed adhuc tertiò interrogavit eum dicens: *Simon Ioannis amas me?* reſponditq; iterum Petrus: *Domine tu omnia ſcis! tu ſcis quia amo te!*

Candide Magiſter vitæ Apoſtolicæ tam ſeria Chriſti Domini inquiſitio, tua eſt inſtructio; quod ſcilicet & tu non debeas cæco impetu ſuſcipere quoſcunq; venientes, & aſpirantes in gremium Religionis ſacræ, niſi pro priori facias ſerium examen & diligentem inquiſitionem, utrum in Religione [illegible]ſſint bibere calicem hunc, quem bib[illegible] bibitura eſt Religio pro nomine [illegible]ſti; videlicet utrum poſſint & lib[illegible] velint illa omnia pati quæ in Re[illegible]gione, ordinariè patienda ſunt? qualia numerantur: Vigiliæ media nocte, exercitia humilitatis in culina, refectorio, choro, dormitorio, Eccleſia, diſciplinæ, pœnitentiæ publicæ, abſtinentiæ diuturnæ, mortificationes, contemptus, confuſiones, irriſiones, æmulationes, increpationes objurgationes, &c. &c. Hoc autem faciendum eſt non ſolùm ab initio

vocationis & aspirationis advenientium Novitiorum, sed etiam in ulteriori progressu probationis & Novitiatus, videlicet ante susceptionem & ante actualem emissionem votorum & Professionem solennem.

Secundo modo probandi & instruendi Novitios, est aperta manifestatio Regulæ, Statutorum, Costitutionum & piarum consvetudinum Ordinis, simulq; diligens advertentia & exacta introspectio, qualiter Novitii & quo animo præfatam Regulam, & statuta suscipiant. Et tali modò probavit Apostolos Christus Dominus, quibus in multis locis, imò per totũ Evangelium suum manifestavit Regulam, statuta, & leges ministerii Apostolici. Et sic imprimis Matthæi cap: 5to inquit *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te, expedit enim ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur, in gehennam ignis. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam:* 2do *Sit autem sermo vester*

est, est: non, non, quod autem his abundantius est, a malo est. 3tio inquit. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum in judicio contendere & tunicam tollere dimitte ei & pallium: & quicunq; te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.* 4to inquit Christus Dominus loco citato. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & caluminiantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suũ oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Deinde Matthæi cap. 10 convocatis Christus Dominus duodecim Discipulis suis dataq; eis potestate vocationi eorum congrua, dedit eis statuta sequentia: *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves, quæ perierunt domûs Israel. Euntes autem prædicate, dicentes quia appropinquavit Regũm. Infirmos curate, mortuos suscitate, læprosos mundate, Dæmones ejicite, gratis accepistis; gratis date. Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris: non peram*

in via, non duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgam, dignus enim est operarius cibo suo. Præterea Matthæi 16 inquit: *Si quis vult post me venire abneget semet ipsum & tollat crucem suam & sequatur me, qui enim voluerit animam suam salvam facere perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Tandem Matthæi 21 inquit: *Quicunq; voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Hæ omnes doctrinæ & dogmata Christi Domini in Evangelio promulgata, in re nihil aliud sunt nisi ipsissima Regula Apostolica quam illi sequentes vocantem Christum, tenebantur servare: ne autem ab observatione ipsius possent se ignorantia excusare; manifestavit, promulgavit & aperuit eam multis in locis scripturæ, ipse Christus Dominus.

Candide Magister, Professor, Director, Instructor, Præceptor, Vitæ Apostolicæ, si vocatas ad Religionem Apostolicam

ſtolicam animas vis rectè & ordinatè probare, ac inſtruere, talî formâ & methodô tibi procedendum eſt cum illis, ſicut Chriſtus Dominus proceſſit cum Apoſtolis: nempe debes & graviter teneris ex vi muneris tui, ſincerè & candidè docere, magnifeſtare & demonſtrare principalia fundamenta, naturam, & qualitates Inſtituti tui, hoc eſt: debes primariò Regulam Ordinis tui præſentare Novitiis, deinde Statuta, Conſtitutiones, & pio legitimoq; uſu introductas obſervationes & conſvetudines Religionis planiſſimè exhibere. Qui enim ad Sacram Religionem gratiâ Dei vocati veniunt, ordinarie ignari ſunt Regulæ, ſtatutorum & piarum conſvetudinum illius, proinde ne hac ignorantia detur illis campus, vel occaſio alicujus erroris, ſtatim ab initio probationis inchoandæ ſive inchoatæ, illa omnia debent ipſis paternè demonſtrari, in quibus principaliter conſiſtit vis & natura Religionis.

§ II.

§ II.

In quo proponuntur alii duo modi probandi Novitios.

Tertius modus probandi & in struendi Novitios, est suavis, benigna, & plana explicatio Regulæ, & Constitutionum Ordinis, in quibus iidem Novitii videntur habere aliquam difficultatem, vel si eas se non sufficienter intelligere demonstrant. Tali modô probavit & instruxit Apostolos adhuc Novitios Christus Dominus Matthæi c. 13. ubi inter cæteras doctrinas proposuit eis Christus Dominus parabolam Zizaniorum agri, quam cum non intelligerent Apostoli, accesserunt ad Christum Dominum dicentes: *Edisere nobis parabolam Zizaniorum:* Non repulit hanc petitionem Apostolicam Christus Dominus; sed omnem obscuritatem, blando & suavi sermone explicavit dicens: *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis: Ager autem est mundus: bonum autem semen, hi sunt filii Regni. Zizania autem, filii sunt nequam. Inimicus autem qui seminavit*

navit ea: est Diabolus. Messis verò, consummatio sæculi est. Messores autem, Angeli sunt; sicut ergo colliguntur Zizania & igni comburuntur, sic etiam erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem: & mittet eos in caminum ingnis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Ecce habes svavissimam explicationem Christi Domini ad dubium Apostolorum propositam. Deinde Matthæi cap. 17 interrogaverunt Apostoli Christum Dominum dicentes: *Quid ergo scribæ dicunt? quod Eliam oportebat primum venire? at ille respondens ait eis: Elias quidem venturus est & restituet omnia: dico autem vobis quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcunq; voluerunt; sic & Filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt Discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis* Ecce habes alteram svavem explicationem Christi Domini ad dubium Apostolorum traditam. Tandem Matthæi, 19. c. ex occasione cujusdam adolescentis dedit Christus Dominus Discipulis suis doctrinam

hanc:

hanc: *Amen dico vobis quia dives difficilè intrabit in Regnum Cælorum. Et iterum dico vobis quia faciliùs est camelum per foramen acûs transire quàm divitem intrare in Regnum Cælorum.* Hanc doctrinam cum audierint Apostoli cæperunt admirari teste scriptura: *Auditîs ergo hîs Discipuli mirabantur valde dicentes: quis ergo poterit salvus esse?* Vix ergo Christus Dominus vidit suæ doctrinæ malam intelligentiam, statim eandem benignè explicavit; *aspiciens autem Iesus dixit illis: apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.*

Candide Magister vitæ Apostolicæ ex his omnibus discas, quòd sicut Christus Dominus suis Apostolis svaviter & clementer explicavit omnia dubia, & humiles interrogationes ad salutem animæ obtinendam pertinentes; pariter & tu similia dubia in Regula, Statutis, vel ipsis Constitutionibus occurrentia, explicare & dilucidare teneris. Spero enim quòd dum tuis Discipulis svadebis contemptũ divitiarum, allicies ad votum paupertatis amplectendum, & repræsentabis: quòd difficile dives intrabit in Regnum cælorum

lorum, item, quòd facilius ſit camelum tranſire, per foramen acûs, quam divitem intrare in Regnum cælorum, ſpero inquam: quòd multi Diſcipuli auditîs hîs mirabuntur, valde & dicent: *quis poterit ſalvus eſſe?* quis tantam auſteritatem ſuſtinebit? quis tam anguſtam ingredietur viam &c: Hi ergo omnes taliter interrogantes & dubitantes ex occaſione doctrinæ tuæ non ſunt in prima fronte confundendi, repellendi, ſed benigno vultu ſuſcipiendi. Itaq; omnia eorum dubia explicanda ſunt verbîs Chriſti Domini ſvaviter dicendo: *Apud homines hoc impoſſibile eſt; apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt,* hominibus ſine gratia Dei impoſſibile eſt ſalutariter tantam paupertatem ſervare, impoſſibile tantas auſteritates ſuſtinere, & tam anguſtam viam ingredi, qualis eſt ſtatus Religionis, cæterum hominibus cum Deo & gratia Dei adjuvante omnia poſſibilia ſunt. Taliter cùm propoſita dubia & alia ſimila explicabis, puto: quòd nutantes Diſcipulorum tuorum mentes, timentesq; auſteritatem Religioſam quietabis & temperabis

Quartus

Quartus Modus probandi & instruendi Novitios est vivax & practica manifestatio specialium austeritatum, onerum, difficultatum, persecutionum, & quarumcunq; cogitabilium molestiarum & discriminum, quæ penes professionem religiosam evenire possunt. Et talî modô suos Novitios videlicet Apostolos probavit & instruxit Christus Dominus Matth: cap. 10 ubi postquam remonstraverit Apostolis omnes principales regulas & statuta vocationis Apostolicæ, tandem ibidem remonstrat illis & enumerat omnia pericula, difficultates, molestias, persecutiones, & austeritates, de illisq; omnibus eventuris seriò præcavet illos, dum inquit: *Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis & synagogis suis flagellabunt vos, & ad Præsides & ad Reges ducemini propter me, in testimonium illis &. gentibus* &c. &c. *Tradet autem Frater Fratrem in mortem, & Pater Filium, & insurgent filii in Parentes & morte eos afficient, & eritis odio omnibus propter nomen meum, qui autem perseveraverit usq; in finem, hic salvus erit. Cum autem persequentur*

vos

vos in civitate ista; fugite in aliam. Amen dico vobis non consummabitis Civitates Isràël, donec veniat Filius hominis Hoc ipsum fecit Christus Dominus & fecisse refertur Lucæ 21 cap. Ubi inquit. *Videte ne seducamini, multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum, & tempus appropinquavit, nolite ergo ire post eos. Cum autem audieritis prælia & seditiones nolite terreri, oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum, & terræ motus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames terroresq; de cælo, & signa magna erunt. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, & persequentur tradentes in Synagogas & custodias, trahentes ad Reges & Præsides propter nomen meum, continget autem vobis in testimonium, &c &c. Trademini autem a Parentibus, & Fratribus & cognatis amicis, & morte afficient ex vobis, & eritis odio omnibus propter nomen meum.*

Candide Magister Vitæ Apostolicæ qualiter sibi processit Christus Dominus cum Apostolis, taliter & tu in loco Christi

Domini conſtitutus, debes tibi cum Novitiis tuis procedere: nimirum poſtquam vitæ Religioſæ cupidos Novitios docueris principales Regulas, easq; ſvaviores & leviores, tunc poſtea debes deſcendere ad manifeſtandas omnes graviores auſteritates, pericula, difficultates, moleſtias, onera, mortificationes, & ad repræſentandos omnes labores quicunq; in Religione tam tempore probationis, quàm toto vitæ decurſu erunt ſubeundi. Et ſic debes eis repræſentare vigilias noctis, obligationem Matutini media nocte, obſequia infima, mortificationes, pœnitentias etiam absq; ullo prævio delicto aſſignandas & ſuſcipiendas, item debes eis remonſtrare cæcitatem obedientiæ præſtandæ, arduitatem paupertatis ſuſtinendæ, & ſublimitatem caſtitatis fovendæ. Verbô loquendo: quidquid moleſtum, aſperum, grave, auſterum, difficile & amarum cogitari, evenire & contingere poteſt aut debet in Religione, id totum in particulari debet Magiſter Novitiorum oſtendere, præſentare, & ſeriò ante oculos cujuslibet incipientis exhibere. Dum

enim

enim probantibus novitiis non aperiuntur omnia onera & austeritates Religionis, tunc postquam vitam religiosam professi ad onera communia vocantur non gratè eadem suscipiunt, at dicere solent: *Ego de his oneribus nunquam audivi tempore probationis, nullibi de ipsis doctus aut præcautus sum: Si enim audivissem & scivissem de illis, nunquam me ad hoc institutum amplectendum, tantis oneribus obligatum resolvissem.*

Contra hanc doctrinam peccare solent Magistri Novitiorum, quando ad sanctam Religionem amplectendam contingit aliquis Juvenis, Magnæ Domus & familiæ, in tali enim casu ordinariè optant sibi Magistri, ut Vir tantæ Domus profiteatur eorum Institutum sperantes primo salutem præfati Iuvenis, 2do auctionem proventuum Religionis, vel promotionẽ apud aulã Regiã, vel saltem aliquam protectionem Religionis aut aliquid simile; quod ut obtineant, prædictum virum Magnæ Domus blandè suscipiunt, affabiliter tractant, extraordinariè honorant, locum altiorem præ aliis Novitiis concedunt, primatum etiam

in multis aliis indulgent, onera Ordinis attenuant, imo absolutè & consultò tacent, ne eum ab emissione votorum deterreant. Sed quam miserabiles sunt spes, & opiniones talium Magistrorum, profitetur quidem prædictus vir aut Iuvenis Institutum; sed dum oneribus postea communibus applicatur, illa erubescit, contra authoritatem Domus suæ putat subire munia Religionis etiàm honorifica, multo magis abjecta & infima; postponit alios & ipse postponitur ab omnibus, Religioni nihil adauget de fortuna sua, quia hæc nec illi soli sufficit, promotionem nullam ex illius occasione consequitur Ordo, quia ille ipse ambitione inflatus promotione ad Prælaturas, subsellia & infulas minus ordinate indiget: ipsis quoq; Magistris suis nullam utilitatem etiam modicam adfert, quia ipse utilitati propriæ & commodis totus immergitur. Tandem his immersus et aliis similibus vanitatibus, cum ad nulla onera vocationis suæ manus vult apponere sed prætextu Dignitatis & familiæ suæ prætendit esse exemptus, sensim abjicitur, contemnitur, & delite-

scit

scit inglorius cum detrimento Religionis & opprobrio Domus suæ, ita ùt de illo dici possit: *Et senatorem perdidisti, & Monachum non fecisti.* Et certè talis educationis homines, nec Religiosi boni sunt nec, senatores esse possunt, & deflendo vicem suam anteriorem, quod dignitatem Domûs reliquerint, nec religiosam assequi possint, in tristitia dies suos prætereunt, tandem ipsa tristitiâ consummuntur, & pereunt.

§ III.

In quo proponitur quintus modus probandi Novitios.

QUintus modus probandi & instruendi Novitios ante susceptionem habitûs religiosi, est confortatio, consolatio, ac plena certificatio de futura omnium periculorum & adversitatum victoria. Tali modo probavit Apostolos & instruxit Christus Dominus Matth: Cap: 10. ubi postquam prædixerit Apostolis quod sint tradendi in conciliis, flagellandi in synagogis, quod sint ad Reges & Præsides ducendi, quod futuri

sint odio omnibus propter nomen ejus statim immediatè eos confortat, consolatur, & certificat de futura omnium periculorum & hostium victoria dum inquit: *Quis autem perseveraverit usq; in finnem hic salvus erit.* Et post pauca deinde sub iungit ibidem. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potiùs timete eum; qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse veneunt: & unus ex illis non cadet super terrã sine Pãtre vestro. Vestri autẽ capilli capitis vestri numerati sunt. Nolite ergo timere, multîs passeribûs meliores estis vos.* Pariter Lucæ 22. Cap. postquam enumeratæ fuerint omnes persecutiones, pericula, invidiæ, odia & proditiones, tandem immediatè subjungitur: *Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis? ego enim dabo vobis os & sapientiam: cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.* Deinde infra additur. *& capillus de capite vestro non peribit, in patietia vestra possidebitis animas vestras:* tandem eodem capite

infra

infra additur: *his autem fieri incipientibus, respicite & levate capita vestra quoniam appropinquavit redemptio vestra.* Certum ergo quod Christus Dominus probaturus Apostolos, nullam persecutionem, periculum nullum, difficultatem nullam illis eventuram subticuit, sed omnes & singulas remonstravit: sed etiam hæc referendo ac prædicando statim Apostolos confortare, consolari, & assecurare de victoria & ita certificare solebat, ut nec capillus de capite eorum evellendus esset sine voluntate Dei: *& capillus de capite vestro non peribit.* Quia vero Apostoli conscii erant infirmitatis & debilitatis suæ, ideo ne hanc respiciendo de viribus suis & consequenter de victoria mundi desperarent, mandavit eis, ut non cogitent, quid illi sint responsuri persecutoribus suis & simul promisit, quod ipse Christus Dominus daturus sit eis sapientiam & virtutem, cui nulla virtus & sapientia humana resistere possit Tandem Matthæi 27 cap: imponit Christus Dominus satis grande onus super humeros Apostolorum. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomi-*

ne Patris & Filii & Spiritus Sancti docentes eos servare omnia quæcunq; mandavi vobis. Sed postquam tantum onus illis remonstraverit & imposuerit, immediate subdit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationẽ sæculi.* O inexhausta Bonitas & clemẽtia Christi Domini! modo primum innuit onera vocationis Apostolicæ, modo primum remonstrat eis & præsentat quid sint acturi, passuri, & toleraturi propter Christum, & statim eos sine mora confortat & consolatur efficacissimè. *Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem sæculi.*

Candide Magister vitæ Apostolicæ, si vis ad normam Christi Domini probare & instruere novitios, tunc post remonstratas austeritates Religionis, debes eos confortare, consolari, & securos facere de victoria omnium difficultatum & austeritatum Religionis. Omnis enim remonstratio difficultatum & periculorum præsertim vivida & exacta, in prima fronte grandem sui apprehensionem conciliat, timorem notabilem incutit, & tale judicium de prædictis difficulta-

tibus

tibus imprimit, ut videatur nulla ratione aut modo attingi vel superari posse. Quare si Magister novitiorum tantùm curabit facere vividam remonstrationem difficultatum & laborum in Religione evenientium, confortationem autem & consolationem nullam præbebit tyronibus, sed illis solam apprehensionem, timorem, & judicium de gravitate difficultatum imprimet, ad illas autem superandas non accendet, tunc potius multos à proposito religioso continuando deterrebit. ·Sicut Dux exercituum incautè faceret, si adducendo ad vexilla sua tyrones milites, tantùm illis pericula, mortem, clades & incommoda remonstraret, de certitudine autem victoriæ & triumphi nunquam consolaretur: ita Magister Novitiorum minus rectè procederet, si tyronibus militiæ religiosæ solas tantum austeritates & miserias remonstraret, de securitate autem vincendarum harum miseriarum & periculorum, nunquam confortaret. Novit hoc optimè piissimus, prudentissimus, & fortissimus Israëliticæ militiæ Dux Judas Machabæus, quod non solum tyrones

sed etiam veterani milites indigeant confortatione & saltem aliquâ consolatione, undè quando milites ejus viso hostili exercitu exterriti sunt & venientes ad Iudam dixerunt ei, *Quomodò poterimus pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati sumus jejunio.* Tunc Iudas videns eos urgente & præsente periculò consternatos illicò verbis svavissimis confortavit dicens: *Facilè est concludi multos in manu paucorum; & non est differentia in conspectu Dei cæli, liberare in multis & in paucis, quoniam non in multitudine exercitûs, victoria belli, sed de cælo fortitudo est. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci & superbi ut disperdant nos, & uxores nostras & filios nostros & ut spolient nos, nos verò pugnabimus pro animabùs nostris & legibus nostris, & ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram, vos autem ne timueritis eos.* Quod huic fortissimo Duci, idem cuilibet Magistro Novitiorum evenire solet, multi imò plurimi ingrediuntur aciem probationis cupientes vitam & mores suos melius componere & fervidius DEO inservire, & postquam

1. Machabæorum. 3.

Ibidem

in acie probationis steterint, & remonstratas difficultates, labores, & ærumnas vitæ religiosæ intellexerint, præsentes innumeros hostes sibi in eadem acie insidiantes conspexerint, statim eo instanti ingenti concutiuntur timore, venientesq; ad suos Duces spirituales dicunt, *Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati sumus jejunio?* imò multis aliis laboribus vigiliis & oneribus probationis; hic ergo omnibus dicendum & respondendum est verbis Machabæi; *facile est concludi multos in manu paucorum, & non est differentia, in conspectu Dei cæli, liberare in multis & in paucis &c.* unde licèt vobis multi insidientur hostes, licèt vobis multæ tentationes, persecutiones & austeritates vincendæ restant, tamen hæc omnia facilè vincere potestis; quoniam non in multitudine exercitûs victoria belli, sed de cælo fortitudo est; hostes vestri nempe caro, mudus, Dæmon, veniunt ad vos in multitudine contumaci, & superbi, ut disperdant vos & spolient his lucris & dotibus, quas jam in Religione acquisivistis,

ſiviſtis, vos verò pugnate pro animabus veſtris, & legibus veſtris, & ipſe Dominus conteret omnes hoſtes veſtros, ante faciem veſtram. Quod ſi opus fuerit adferenda ſunt exempla antiquiora eorū, qui antecedenter ſimiles difficultates, probârunt, & tamen easdem ſuperârunt: & talîter (ultra jam dicta) confortabat ſuos milites Iudas Machabæus dicendo:
1. Machabæorum 4. *Mementote qualiter ſalvi facti ſunt Patres veſtri in mari rubro, cum ſequeretur eos Pharao cum exercitu multo. Et nunc clamemus in cælum & miſerebitur noſtri Dominus, & memor erit teſtamenti Patrum noſtrorum, & conteret exercitum iſtum ante faciem veſtram hodiè; & ſcient omnes gentes, quia eſt qui redimat Iſrael.* Similia dicenda & adferenda ſunt Novitiis, multitudinem hoſtium & difficultatum timentibus, nempe ad majorem confortationem, & efficatiorem conſolationem internam dicendum eſt eis: Mementote qualiter ſalvi facti ſunt Patres noſtri in mari rubro, nempe in hoc mundo & in hoc ſtatu, in quo vos modo eſtis, cùm ſequeretur eos Pharao cum exercitu multo; hoc eſt cum perſequere-

tur illos dæmon, capitalis animarum hostis, cum assistentia suorum, imò totius inferni, & tamen hanc persecutionem, insidias, tentationem, & insultus, cum gratià Dei vicerunt, & triumphârunt. Et nunc clamemus in cælum, hoc est, oremus, confiteamur, doleamus, pænitentiam agamus, humiliemur, submittamur judicio superiorum &c &c. & miserbitur nostri Dominus, exaudiet preces nostras, respiciet lachrymas & pænitentiam nostram, tandem conteret exercitum istorum hostium animabus nostris insidiantium.

§ IV.

Cum qua cautione diligentia, & discretione suscipiebant Novitios antiqui Patres.

Sicut Dux belli suscepturus milites ad excrcitum, debet esse valde cautus, discretus, ac providus in hoc, qualiter & cum quibus circumstantiis debeat illos suscipe-

ſuſcipere; ita & Magiſter novitiorum, multò majorem in hoc debet ſervare cautionem, prudentiam, & diligentiam. Ut autem hoc ipſum meliùs exequatur, conſentaneum duxi, adferre hìc modum & cautionem, quâ antiqui Patres ſuſcipiebant ad ſua Monaſteria Novitios. Modus autem hic erat talis, ut habetur in vitis Patrum ubi dicitur. *Cum igitur quis renunciaturus ſæculi negotiis, in Monaſterium ſe ſuſcipi rogaverit, non ante admittitur, quàm diebus decem vel eo amplius præ foribus monaſterii exuberans judicium perſeverantiæ ſuæ, pariter humilitatis & patientiæ demonſtraverit. Cumq; omnium Fratrum prætereuntium genibus provolut9, & ab univerſis, refutatus atq; deſpectus ſit, quaſi qui non causâ Religionis, ſed neceſſitatis obtentu Monaſterium optat intrare; injurijs quoq; multis affectus experimentum dederit conſtantiæ ſuæ, & qualis futurus ſit in tentationibus, opprobrii, tolerantiâ declaraverit; atq; ita poſtmodùm ſuſceptus, diligentiâ ſummâ perquiratur, ne de facultatibus ſuis inhæſerit ei vel unius nummi contagio; ſciunt enim eum ſub Monaſterii diſciplina diuturnum*

Parte 3tia c 21.

num

num esse non posse, sed nec humilitatem aut obedientiam obtinere, si in conscientia ejus quantumcunq; pecuniæ latitaverit. Quamobrem ita nudatur unusquisq; cum receptus fuerit omni pristina facultate, ut nec ipsum quidem vestimentum quo indutus est habere permittatur ulterius, sed in conventu Fratrum productus in medium, exuitur propriis indumentis, ac per manus Abbatis induitur monasterii indumentis, ut per hoc non solùm se universis rebus antiquis noverit spoliatum, sed etiam omni mundiali fastu deposito, ad Christi paupertatem & inopiam se descendisse cognoscat. Illa verò quæ posuit vestimenta, tam diu reservant in monasterio, donec perfectus evadat & conversationis ejus ac tolerantiæ virtutem evidenter agnoscant. Et si posse eum perdurare ibi perspexerint, tunc indigentibus eadem vestimenta largiuntur; si verò in quadam illum murmuratione, vel qualibet inobedientia deprehenderint, exuentes eum monasterii quibus erat indutus vestimentis, & revestitum antiquis quæ servata fuerant, expellunt de congregatione. Cùm igitur quis susceptus & hâc perseverantia (qua diximus) fue-

fuerit comprobatus, ac depositîs propriîs indumentîs, habitu Monasteriali fuerit, accinctus, non statim congregationi fratrum commisceri permittitur, sed deputatur alicui seniori, qui seorsim non longe à vestibulo monasterii manens, curam habet peregrinorum atq; advenientium deputatam, eisq; omnem diligentiam susceptionis & humanitatis impendit; cumq; ibidem cùm ipso integro anno deserviens, absq; ulla querela suum circa peregrinos exhibuerit famulatum, doctus per hæc primam institutionem humilitatis, admiscetur postea Congregationi Fratrum, ac demum docetur primitus suas vincere voluntates, & illi ea sæpius imperare student, quæ senserint animo ejus esse contraria. Pronuntiant enim nullatenus monachum (quod de omni alio Religioso dicendum) prævalere iram vel tristitiam vel spiritum fornicationis posse, nisi prius didicerit mortificare per obedientiam suas voluntates, sed nec humilitatem cordis veram, nec cum Fratribus concordiam firmam posse retinere, nec in monasterio diutius permanere eum, qui voluntates suas non didicerit superare. Ex vitis Patrum Parte 3. cap. 21.

Candide Magister vitæ Apostolicæ ex hac methodo antiquorum Patrum in suscipiendis novitiis servata, habes formam & exemplar, quomodò te gerere debeas in suscipiendis novitiis. Primo igitur in illis suscipiendis hoc tibi servandum erit, ut ad primam requisitionem & petitionem ipsorum non facias quidquam neq; admittas ullatenus, sed per decem aut plures dies declarationem susceptionis differas. Secundum hoc tibi servandum erit, per hos decem dies diligenter advertas quâ humilitate, submissione, & patientiâ petent, & expectabunt futuram de susceptione declarationem, an provoluti genibus, an superbâ & erectâ fronte? Tertium. Subordinari potest, ut hic qui petit susceptionem ab aliquo despiciatur, perturbetur, vel aliquo disgustu afficiatur: si ergo hoc totum patienter sustinuerit, tunc habebitur bonum judicium de ulteriori patientia ipsius. Quartum. Quando jam ipso facto suscipiendus erit novitius, hoc exactissimè custodiendum est, ut penes illum nihil de rebus ejus maneat, sed omnia sua utensilia, uti sunt

vestes,

veftes, cinguli, calceamenta, pecuniæ, & alia quæcunq; ad manus ſuperioris vel Magiſtri ad commune promptuarium reddat, tamdiu conſervanda, quamdiu patientia novitii probata non fuerit. Si enim novitio non recipiantur omnia utenſilia ejus, ſed penes eum ſervanda concedantur, tunc eo ipſo dabitur ipſi poteſtas utendi propriâ voluntate, & diſponendi de illis quando voluerit: hoc autem non eſt congruum, imò obſervantiæ religioſæ diſconvenientiſſimum. Novitio enim ſtatim à prima fronte ſuſceptionis ac probationis interdicenda eſt propria voluntas ac diſpoſitio. Deinde quid prodeſt veſtimenta deponere in publico, & poſt depoſitionem illorum, reportare illa iterum ad cellam novitii vel ſub clavim ejus? talis depoſitio eſt ridicuſa & cerimonialis abſolutè: veſtimenta autem & alia omnia utenſilia non ſolùm ad oculum, non ſolum in publico, non ſolùm ad cerimoniam, ſed realiter & ipſo facto deponi debent ita, ut amplius à novitio non videantur: ipſa enim præfatorum veſtimentorum & aliarum ſæcularium rerum

viſio

visio revolvit ac repetit Novitio sæculi recordationem, ornamentorum complacentiam, amoremq; rerum temporalium. Cùm autem hæc non videt, potest faciliùs etiam speciebus impressis horum objectorum carere. Quintum si antiqui Patres tanto conatu & diligentiâ hoc observabant in Novitiis, ut eis ne unius quidem nummi adhæreret contagio; quantò magis observandum & cavendum est, ne iidem Novitii recenter suscepti, audeant in die susceptionis suæ, aliquas refectiones, collationes, tractamenta; convivia, vel aliquid simile Fratribus comparare de pecunia sibi reservata, hæc enim omnia sicut proprietatem sapiunt, ita sunt magnæ dissolutionis occasio. Hic itaq; perniciosissimus abusus totis viribus per superiorem & Magistrum (si alicubi fuerit) omnino est eliminandus, excludendus, & tollendus. Sextum postquam Novitius vel aliquot Novitii suscepti fuerint non statim sunt permiscendi congregationi Fratrum, scilicet Professorum ac Presbyterorum, sed in seorsivo loco scilicet in Novitiatu, tam diu detineantur

quamdiu sufficientis probationis signa non dederint. O quàm felices essent Religiones! si hanc normam in suscipiendis Novitiis servarent! O quàm felices essent Novitii, si tali methodo suscipérentur! & statim in primo limine frangerentur; sed quia passim suscipiuntur sine delectu, sine discrimine, sine discretione, & debita humiliatione eorum, & quidem ad primam requisitionem eorum; ideò frequenter & Religiones nullam habent consolationem de Novitiis, & Novitii nullum profectum in Religione.

§ V.

Quomodò antiqui Patres exhortabantur Novitios post susceptionem eorum?

Pro demonstratione hujus rei, quomodò antiqui Patres exhortari solerent suos Novitios, non adduco multa, sed unicum Abbatis Pinuphii exemplum, qui susceptô Novitiô, exhortatus est eum verbîs præsentibûs. *Nosti Fili*

quot

quot diebus præ foribus excubans, hodie sis receptus. Cujus difficultatis causam primitùs debes agnoscere; poterit enim tibi in hac vita, quam ingredi concupiscis, multùm conferre, si ratione ejus agnitâ, ad servitium Christi, sicut oportet acesseris. Sicut namq; immensa gloria fideliter servientibus Deo, ac secundùm institutiones hujus Regulæ cohærentibus repromittitur in futurum, ita pœnæ gravissimæ præparantur his, qui tepidè eam negligenterq; fuerint executi: & secundum hoc quod professi sunt, vel quod ab hominibus esse creduntur fructus etiam congruos Sanctitatis eidem exhibere neglexerint. Meliùs enim est non vovere, quàm vovere & non reddere: & maledictus qui facit opus Domini negligenter. Igitur ideò à nobis diutissimè refutatus es, non quia tuam vel omnium salutem, non toto desiderio cupiamus amplecti, sed ne temerè receptus & nos apud Deum levitatis, & te reum gravioris supplicii fecerimus, si ad præsens facilè susceptus, nec pondus professionis hujus intelligeres, vel destitutor post hæc, vel tepidus extitisses. Noveris ergò hodierna die te huic mundo & actibus ejus esse

 defun-

defunctum; teq; secundum Apostolum mundo huic esse crucifixum, tibiq; hunc mundum. Sed fortè dicis quomodò quis vivens possit esse crucifixus? audi breviter rationem: Crux nostra timor Domini est, sicut enim qui est crucifixus, jam non pro animi sui motu membra sua quocunq; movendi vel convertendi habet potestatem; ita & nos voluntates nostras, ac desideria, non secundùm id, quod nos delectat ad præsens, sed secundùm præceptum Domini quo nos constrinxit, applicare debemus. Et sicut ille, qui patibulo crucis affigitur, jam non præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, nullâ jam possidendi concupiscentiâ permovetur, sed cùm adhuc spirat in corpore, cunctîs momentîs credit se esse defunctum: ita nos quoq; timore Domini oportet esse crucifixos omnibus carnalibus vitiis, & illuc semper habere oculos mentis nostræ defixos, quo nos sperare debemus momentîs singulis migraturos. Cavendum est ergò, nè quid aliquando eorum præsumamus, quæ renuntiantes abjecimus. Non enim qui cœperit hæc, sed qui perseveraverit in his, usq; in finem, hic salvus erit. Versutus enim serpens

pens calcaneum nostrum semper observat, id est insidiatur exitui nostro, & usque ad finem vitæ, nos supplantare conatur; & idcircò bene cæpisse, nihil proderit, si bene consummatum non fuerit. Quapropter secundùm scripturæ sententiam, ingressus ad serviendum Domino, sta in timore Domini & præpara animam tuam non ad requiem; non ad delicias; sed ad tentationes & angustias; per multas enim tribulationes oportet nos introire Regnum Dei. Angusta namq; est porta, & arcta via, quæ ducit ad vitàm, & pauci sunt qui inveniunt eam: principium enim salutis nostræ timor Domini est; per hoc enim & initium conversionis, & virtutum custodia acquiritur. Qui cùm penetraverit hominis mentem, contemptum omnium rerum rapit, & mundi gignit horrorem: contemptu autem ac privatione Omnium facultatum humilitas vera acquiritur: humilitas autem hîs indiciîs comprobatur: Primò si mortificatas in se Monachus omnes habeat voluntates. Secundo. Si actus & cogitationes non celaverit seniorem. Tertiò si nihil suæ discretioni, sed judicio ejus universa committat. Quartò si in omnibus

præceptis servet obedientiam, mansvetudinem, & patientiæ constantiam. Quintò Ut nulli inferat injuriam, sed & illatam sibi; patienter toleret. Sextò: Si nihil agat preter Regulæ exempla. Septimò. Si ad omnia quæ sibi imperantur velut operarium malum se judicaverit & indignum. Octauò si semetipsum cunctis inferiorem pronuntiet: Nonò. Si lingvam suam cohibeat & non sit clamosus in voce. Decimò Si non sit facilis ac promptus in risu. Talibus namq; indiciis humilitas vera dignoscitur. Sed & hæc quoq; tibi in Congregatione necessariò custodienda sunt, ut scilicet secundùm Psalmistæ sententiam, sis tanquam surdus non audiens, & sicut mutus non aperiens os suum: nihil discernens, nihil dijudicans ex his, quæ tibi fuerint imperata. Ergò patientam tuam non debes de aliorum sperare virtute, id est: ut tunc eam,, tantummodò possideas cùm a nemine fueris irritatus: sicut jam dictum est, timor Domini est. De timore Domini nascitur compunctio salutaris; de compunctione cordis, procedit contemptus omnium facultatum, ac nuditas; de nuditate humilitas procreatur; de humilitate,

genera-

generatur mortificatio voluntatum: de mortificatione voluntatum extirpantur universa vitia; expulsione vitiorum virtutes fructificant; pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur; & puritate cordis Apostolicæ charitatis perfectio possidetur. Hactenus Abbas Pinuphius; & habetur in Vitis PP. Parte 3. cap. 31.

Candide Magister vitæ Apostolicæ ex hac tam fusè adducta exhortatione, habes sufficientem doctrinam circa quæ debeas informare Novitios, post susceptionem eorum; sed & Novitii habent vivum exemplar, in quibus se post præfatam susceptionem probare & exercere debent: proindè id, quod dictum est in prædicta exhortatione, non repeto; sed eam frequenter relegendam censeo, ut hac relectione memoriæ imprimatur, & animus ad eam exequendam frequentiùs accendatur.

CAPUT

CAPUT II.

In quo proponitur norma probandi Novitios post investituram, seu susceptionem Habitûs Religiosi.

IN puncto præcedenti dedimus normam & modos probandorum Novitiorum ante concessionem & susceptionem Habitûs religiosi: modò connaturaliter sequitur, ut demus similem normam, post præfatam susceptionem Habitûs Religiosi: Quoniam autem vota substantialia Religionis, sunt principale fundamentum & basis totius vitæ ac perfectionis Religiosæ, ideò hic dabimus normam & modos probandi novitios, in votis substantialibus Religionis. Quia verò vota substantialia Religionis tria sunt, videlicet Paupertas, Obedientia, & Castitas, ideò præsens caput in tria Puncta dividemus, Sectiones autem in paragraphos.

PUN-

PUNCTUM I.

In quo proponitur norma probandi Novitios in profectu & perfectione Obedientiæ.

Sicut Obedientia est virtus præstantissima; ita plurimi sunt modi & industriæ probandi Novitios in illa. Proinde ut hos modos & industrias clariùs referamus, Punctum præsens, distinctis paragraphis expediemus.

§ I.

In quo proponuntur aliquot modi seu industriæ probandi Novitios, in profectu Obedientiæ.

PRimus modus, seu industria probandi Novitios in profectu Obedientiæ, est constituere illos in aliquo loco libero, recreationis & voluptatum honestarum plenissi-

plenissimo; sicq; constitutis concedere usum omnium rerum, mentem humanam recreantium, excipere tamen & interdicere usum unius alicujus rei, etiam indifferentis, vel etiam plurium, sed pariter omninò indifferentium: Et tali modo in profectu Obedientiæ probavit Apostolos Christus Dominus Matth: Cap 10, ubi convocatîs duodecim Apostolîs constituit eos in loco omnis libertatis pleno, nempe in orbe universo; siquidem eos misit ad prædicandum, in universum orbem; taliterq; missis & ordinatis, prohibuit multas res absolutè indifferentes, hoc est; neq; bonas, neq; malas moraliter ex natura sua: nam cùm præfatos Apostolos mittebat in orbem universum, inter alia præcepta, dedit illis etiam hoc: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neq; pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neque Virgam.* Porrò aurum, argentum, pecunia, & cætera hujusmodi, neq; sunt mala moraliter ex natura sua, neq, bona sed penitùs indifferentia. Et certè, quid mali, in se continebat pera, si eam Apo-

stoli

stoli portâssent? quid inhonestì præseferebant duæ tunicæ si eas Apostoli pro necessitatibus itineris providissent? quid vitiosi habebant calceamenta, si ea Apostoli pro tam longo & arduo tractu totius orbis induissent? quid tandèm legi Divinæ contrarium habebat in se virga? si eâ Apostoli usi fuissent, eamq; secum deportassent? defactò nihil mali hæc omnia continebant. Quarè ergo omnia Christus Dominus prohibuit Apostolis? ecce sine dubio ad probandam eorum obedientiam; qui enim rem ex natura sua indifferentem ad bonum vel malum non tangit, propter amorem & reverentiam Obedientiæ, à fortiori non audebit tangere alias res ex natura sua malas, vel inhonestas. Jn eodem Capite 10mo dedit Christus Dominus Apostolis etiam hoc præceptum: *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini:* Porrò cogitatiò Apostolorum de eo, quomodò aut quid locuturi essent, quandò à Tyrannis traderentur, quantùm ex se nonerat mala; & tamen eam Christus Dominus prohibuit, ut doceret Apostolos

obedien-

obedientiam præſtandam eſſe, non tantùm in factis ſed etiam in cogitationibus indifferentibus. Præterea in eodem Capite 10mo dedit etiam Apoſtolis hoc præceptùm: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus:* Et quis o Bone JESU non extimeſceret eos, qui occidunt corpus? utiq; timor iſte, eſt ita connaturalis homini, ſicut eſt connaturale & ipſum corpus? ad quid ergò Magiſter ſapientiſſime rem ita connaturalem & homini congenitam prohibes? quæ etiamſi fiat & ſubſequatur ante inſtantem occiſionem Corporis, non eſt mala ex natura ſua? reſpondet Sapientiſſimus Magiſter, Chriſtus JESUS: Optimè ſcio timorem ex inſtante occiſione corporis ſubſequentem, non eſſe rem malam ex natura ſua; cæterum ut Apoſtolorum & diſcipulorum meorum perfectior virtus obedientiæ appareret, etiam ſic probare illos mihi placuit. Tandem cùm Chriſtus Dominus eſſet proximus Paſſioni ſuæ, deſcendit in hortum oraturus ut conſtat Matth: Cap: 26. Poſt factam autem orationem, venit ad Diſcipulos, & invenit eos dormientes, dicit Petro:

Sic, non potuistis unâ horâ vigilare mecum? dormitio & somnus ille Apostolorum, adhuc debilium in fide, pariter ex natura sua non fuit malus, nec exitialis; & tamen pro illo arguit Christus Dominus Apostolos? ut illis & nobis inculcaret virtutem obedientiæ exerceri & probari posse, etiam circa res & actus indifferentes.

Talî tandem modô probavit DEUS Optimus maximus primos Parentes Nostros Adam & Evam: quam primùm enim illos creavit, constituit illos in Paradiso amœnissimo omnium voluptatum, & deliciarum plenissimo, concessitq; eis usum omnium arborum eximiarum in Paradiso creatarum, exceptô lignô, seu arbore scientiæ boni & mali ut constat Genes: Cap: 2do. *Plantaverat autem Dominus DEUS Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formaverat. Produxitq, Dominus DEUS de humo omne lignum pulchrum visu & ad vescendum svave, lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignum scientiæ boni & mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum*

Paradi-

Paradisum qui inde dividebatur in quatuor capita &c. Tulit ergo Dominus DEUS hominem & posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum, præcepitq; ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comedes; de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris & hæc est doctrina expressa S. Augustini, qui libro 8vo de Genes: ad literam Capi. 13. inquit: *Nec potuit (inquit) Meliùs & diligentiùs commendari, quantum malum sit, sola inobedientia, cùm ideò reus iniquitatis factus est homo, quia eā rē tetigit cōtra prohibitionem, quam si non prohibitus tetigisset non utiq; peccasset. Nam qui dicit verbi gratiâ noli tangere hanc herbam, si fortè venenosa est, mortemq; prænuntiat, si tetigerit, sequitur quidem mors contemptorem præcepti: sed etiam si nemo prohibuisset, atq; ille tetigisset, nihilominus utiq; moreretur. Jlla quippe res contraria saluti vitæq; ejus esset, sive illa vetaretur sive non vetaretur. Jtem, cùm quisquam prohibet illam rem tangi, quæ non quidem tangenti, sed illi, qui prohibuerit obesset,*

obesset, velut si quisquam in alienam pecuniam misisset manum, prohibetur ab eo, cujus erat pecunia illa; ideò esset prohibito peccatum; quia prohibenti poterat esse damnosum. Cùm verò illud tangitur, quod nec tangenti obesset, si non prohiberetur; nec cuiquam alteri quamlibet tangeretur, quarè prohibitum est, nisi ut ipsius per se bonum obedientiæ, & ipsius per se malum inobedientiæ monstraretur. Deindè à peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione DEI, quando illud admissum est, in quo, ne admitteretur, sola deberet jussio dominantis attendi, quæ si sola attenderetur, quid aliud, quàm Dei voluntas amaretur? quid aliud quàm Dei voluntas humanæ voluntati præponeretur, Dominus quidem cur jusserit, viderit: faciendum est à serviente, quod jussit, & tunc fortè videndum est a promerente, cur jusserit. Sed tamen ut causam jussionis hujus non diutiùs requiramus, hæc ipsa magna est utilitas homini, quod Deo servit. jubendo Deus, utile facit, quidquid jubere voluerit; de quo metuendum non est, nè jubere, quod inutile est, possit. Nec fieri potest, ut voluntas propria non grandi

ruinæ.

ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat. Hoc expertus est homo contemnens præceptum Dei, & hoc experimento didicit, quidquid interest inter bonum & malum; bonum scilicet obedientiæ; malum autem inobedientiæ, idest superbiæ & contumaciæ perversæ imitationis Dei, & noxiæ libertatis.

Ejusdem sententiæ est & S. Gregorius lib: 25 Cap. 10 de obedientia dicens: *Sciendum est, quod nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam, bonum, quod agitur, intermitti, neq; enim mala in Paradiso arbor exstitit, quam Deus homini, ne contingeret, interdixit. Sed ut per melius obedientiæ meritum, homo bene conditus cresceret, dignum fuerit, ut hunc etiam à bono prohiberet, quatenus tantò verius hoc, quod ageret, virtus esset, quantò & à bono cessans, auctori suo se subditum humiliùs exhiberet.*

Quicunq; ergo Magister volet probare suos Novitios; hâc industriâ modò primùm deductâ & ostensâ, poterit eos probare: nimirum constituat

illos

illos in aliquo loco libertatis, recreationis, distractionis & voluptatum honestarum pleno; in eoq; loco concedat illis usum omnium rerum, humanum gustum, recreantium; & præterea interdicat illis, unum aliquid etiam indifferens, hoc est tale: quod ex natura sua neque sit malum, neq; bonum, quod dum faciet facilè assequetur & penetrabit genium & indolem unius cuiusq; Novitii. Hac praxi probandi, usi sunt plurimi viri Apostolici, qui discipulis suis res etiam indifferentissimas, quales sunt: herbæ vulgares, fructus, olera, aquæ &c prohibebant, hoc tantùm fine, ut probarent Obedientiam eorum.

Secundus modus seu industria probandi novitios in profectu obedientiæ est, de loco libertatis, recreationis voluptatisq; pleno, educere eos in locum laboris, tribulationis, & amaritudinis, vel saltem præfatam amaritudinem illis à longè remonstrare. Tali modo probavit suos Novitios, nempe Apostolos Christus Dominus, Matth: Cap. 17. ubi. volens illos accendere & omnî modô allicere ad sequendam perfectionis E-

vangelicæ viam, *duxit eos ad montem excelsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol, & vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix.* Hunc splendorem & gloriam Christi cùm videret Petrus Apostolus, exclamavit ad Iesum: *Domine bonum est nos hic esse.* Et certè quis mons, quis hortus, quod viridarium, possit esse amænius, quam ille locus, in quo tam gloriosè transfiguratus est JESUS? sed hunc locum ex sua præsentia ita gloriosum, & splendidum, non diu concessit Apostolis JESUS, sed statim in eodem capite apud Matth: descendens de eodem monte, cùm ipsum Apostoli interrogarent de Elia, tunc JESUS innuit eis futuram Passionem suam, dicens: *Elias jam venit; & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo, quæcunq; voluerunt: Sic & Filius hominis passurus est ab eis.* Deinde cùm in eodem Capite prædiceret iteratò, suã Passionẽ, Apostoli hac prædicatione facti sunt tristes, ut constat Matth Cap. 17. ubi dicitur. *Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis JESUS Filius hominis tradendus est in manus hominum & occident eum & tertia die*

resurget. Et contristati sunt vehementer. Talî insuper modô probavit eosdem Apostolos Christus Dominus, quando illos ex Cænaculo eduxit in hortum Gethsemani; Cænaculum enim erat locus omnis libertatis, voluptatis, & deliciarum plenissimus, utpote Mysteriô corporis, & sangvinis Christi consecratus: hortus autem Gethsemani erat locus captivitatis Christi, & initium cruentissimæ Passionis ejus. Talî prætereà modô probavit DEUS primos Parentes nostros, qui postquam in Paradiso constituti, probationem Dei non intelligerent, nec illâ bene usi fuerint, ejecit eos Deus & eduxit in terram carentem simili commoditate, ut constat Genes. Cap. 3. *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adæ verò dixit: quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno de quo præceperam tibi, ne comederes; maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctîs diebûs vitæ tuæ spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultûs tui vesceris*

pane tuo &c. Eâdem totâ methodô procedat sibi Magister cum Novitiis, videlicet post prægustatam in aliquo loco voluptatem & lætitiam educat eos in locum pœnitentiæ, mortificationis, & patientiæ.

Tertius modus seu industria probandi Novitios est; respicere, laudare, & approbare munera officia, actiones aliquorum; aliorum autem non respicere nec laudare, nec approbare. Talî modô probavit suos Apostolos Christus Dominus, videlicet Petrum & Iudam; ambo enim hi Apostoli ministeriô Apostolicô præditi, varia officia & obsequia exhibebant Christo Domino; tamen ille unius obsequia approbavit, alterius reprobavit. Talî modô probavit Deus duos illos fratres Cain & Abel, qui ambo dum offerrent Deo munera, Deus respexit ad munera Abel, ad Cain autem non respexit. *Factum est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoq; tulit de primogenitis gregis sui &c. & respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus: ad Cain autem & ad munera illius non respexit.*

ſpexit. Et quale precor in hoc myſterium? ecce iſtud: ut virtus, & indoles utriusq; probaretur. Abel quia bonæ indolis erat, approbatione munerum ſuorum à Deo, nec ſuperbivit, nec elatus eſt: Cain verò invidiâ motus, fratrem eduxit in agrum, & occidit. O quàm contrarii unius ejuſdemq; probationis Divinæ effectus! Hoc continget in Novitiis, ſi pari modo probabuntur à Magiſtro, quicunq; enim reſpicientur à Magiſtro, & quorum munera, officia, labores, & applicatio laudabitur, hi plerumq; proficient; qui verò non reſpicientur & quorum officia non laudabuntur, nec approbabuntur; hi vehementer irati & invidiâ accenſi, connovitios ſuos perſequentur, calumniabuntur, & licet non in corpore, tamen in bona fama occident, Hæc autem omnia ſpectando Magiſter, ſingula ſingulis adhibebit media, & ex ſactibus eorum deſumet indicia ſpiritûs eorum.

§ I I.

In quo proponuntur alii modi probandi Novitios in profectu obedientiæ.

QUartus Modus probandi Novitios in profectu Obedientiæ est quædam fabricatio Arcæ. Per fabricationem Arcæ in sensu Mystico, probavit Christus Dominus Apostolos, ut infra deducetur: jam autem in sensu literali, probavit DEUS virum justum Nòé, cui Mandavit fabricationem Arcæ dicens: *Finis universæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Fac tibi Arcam de lignis lævigatis &c.* Cùm enim fabricatio Arcæ fuerit opus notabile, grande, extraordinarium, ac multîs Mysterîs plenum; proinde, siquidem illud fabricandum injunxit DEUS Nòémo, nunquam talem structuram practicanti aut videnti, signum est quòd hoc DEUS fecerit ad probandam fidem, obedien-

tiam, & justitiam ejus; obedientia enim bene probatur talibûs operibûs quæ ab hominibus aut nunquam videntur, aut nunquam practicantur.

Si ergò & Magister vult probare obedientiam Novitiorum, demandet illis fabricationem Arcæ: Arca autem quam debent fabricare Novitii, est corpus proprium cujuslibet Novitii: per Arcam enim Nòé significatur corpus humanum, juxta Sanctum Ambrosiùm Cap: 6. de arca Nòe discurrentem, ubi inquit: *Arcam Nòé si quis velit impensiùs considerare, inveniet in ejus ædificatione, descriptam humani figuram corporis. Fac, inquit DEUS, tibi Arcam de lignis quadratis. Quadratum appellamus, quod suis omnibus bene consistat partibus, & conveniat sibi. Quadrata autem hominis membra esse evidens ratio ostendit: si consideres pectus hominis, consideres ventrē parî mensurâ longitudinis, latitudinis: nisi cum voluptatibus & epulis ventre distento, mensura naturalis exceditur. Iam pedes & manus, brachia, fæmora & crura quadripartita quis non ipso usu advertat? sunt autem pleraq; eorum, etsi non*

ejusdem longitudinis, aut latitudinis, tamen quæ analogiam ita servant, ut in iis quoq; congrua mensura ratioq; concurrat: longitudo prolixior quàm latitudo sit, latitudo quàm altitudo. Et sicut ligni Arcæ trina distantia est; siquidem trecentorum cubitorum longitudinem, & quinquaginta latitudinem, & triginta cubitorum altitudinem servandam esse præscripsit. Ita & in nostro Corpore summa est, & media, & minima distantia. Summa secundùm longitudinem; media secundùm latitudinem; minima secundùm altitudinem; totum tamen corpus attextum ex singulis membris, quadratum videtur. Nam & in usu ita est, ut eos quadratos dicamus, quos nec enormes proceritate, & validos robusti qualitate corporis, æstimamus.

Præterea, si idem Magister vult probare suos Novitios, demandet illis iterum fabricationem alterius Arcæ, nempe animæ, quæ juxta Hugonem à S. Victore in libro Allegoriarum in Genesim Cap. 18. per Arcam Significatur, ubi sic inquit: *Anima nostra est velut arca Noë. In Arca salvari debemus, & in*

in ipsam intrantes & in ipsa manentes, sicut scriptum est: Redite prævaricatores ad cor: Hujus arcæ longitudo fides est, quæ credit omnia quæ fecit DEUS ab initio sæculi, vel facturus est, usq; ad finem ejus, per se vel per. Angelos, vel per homines: Altitudo spes est: quâ erigitur ad speranda bona, quæ in cælis sunt præparata diligentibus Deum: latitudo caritas est, quæ extenditur ad septemtrionalem plagam, per dilectionem inimicorum; & ad plagam australem, per dilectionem amicorum. In hac Arca est Nòé, id est intellectus rationalis, & sensus spiritualis, & quæ ex his nascuntur: recta consilia, justa desideria, piaq; vota, tanquam filii & cognati Nòé. Animalia, opera sunt, quæ circa res terrenas afficiuntur. Volucres, cogitationes sunt in rebus excelsis & cælestibus versantes. Inundatio aquarum, impetus est tentationum. Montes Armeniæ in quibus requiescit Arca, quies est animæ in contemplatione rerum Divinarum. Corvus emissus nec reversus, significat falsos Christianos, qui dum aliquando ad exteriora necessitatis causâ mittuntur, foris remanent visibilibus

bilibus inhærentes, neq; ad interiorem quietem revertentes, sed foris fluctuatione temporalium lætantes. Columba verò extra Arcam missa, sed ad eam reversa, bonos Christianos significat, qui dum pro utilitate proximorum ad exteriora procedunt, redeunt; cùm foris quietem non inveniunt, & afferunt ramum olivæ, quia peregerunt opera misericordiæ.

Ultra dicta, si idem Magister vult probare obedientam suorum Novitiorum, demandet illis fabricationem Arcæ juxta doctrinam & Monitum Origenis Homil: 2da in Caput 6. Genes. dicentis: *Si quis est, qui crescentibus malis & inundantibus vitiis, convertere se potest à rebus fluxis & caducis, & audire verbum Dei ac præcepta cælestia custodire, hic intra cor suum arcam salutis ædificat, &, ut ita dicam, bibliothecam Divini consecrat Verbi; longitudinem in ea, latitudinem & altitudinem, fidem dico, spem, & charitatem collocans. Fide Trinitatis ad longitudinem vitæ, immortalitatemq; descendit, Latitudine charitatis, indulgentiæ benignitatisq; fundat affectum. Altitudine spei, ad cælestia erigit animum,*

& in

& in terris ambulans, in cælis habet conversationem. Summam verò actuum suorum refert ad unum; Scit enim, quia omnes quidem currunt, sed unus accipit palmam, scilicet qui cogitationum varietate, & mentis instabilitate, non fuerit multiplex. Sed hanc arcam & bibliothecam non ex agrestibus & impolitis, sed ex quadratis & secundùm æquitatis lineam directis construit lignis, id est non sæcularium authorum, sed ex propheticis & Apostolicis voluminibus, Ipsi enim sunt, qui diversis tentationibus delati, recisîs omnibûs vitiîs, quadratam continent vitam, & ex omni parte libratam. Nam auctores sæcularium librorum, possunt dici ligna excelsa & umbrosa, (sub omni enim ligno excelso & nemoroso accusatur fornicatus esse Isràël) quia illa loquuntur quidem excelsa, & floridâ utuntur eloquentiâ; non tamen ita faciunt, ut loquuntur, & ideo non possunt ligna quadrata nominari, quia non in iis sermo, & vita collibrant. Tu ergò si facis arcam, ex propheticis & Apostolicis sermonibus confice, & bicameratam ac tricameratam eam facito; ex ipsa narrationes historicas disce: ex ipsa,

latentia

latentia rerum mysteria & Sacramenta agnosce: ex ipsa quoq; mores emendare, resecare vitia, purgare animam, atq; exsolvere omni vitio captivitatis, enitere. Nidos in ea diversarum virtutum & profectuum colloca, intus & foris eam bitumina, corde fidem gerens, ore confessionem præferens. Intus scientiam, foris operationem habens; Intus corde mundus, foris castus corpore incedens.

Tandem si idem Magister vult probare suos novitos, demandet illis fabricationem arcæ mysticæ videlicet Sanctæ & universalis Ecclesiæ Dei; per arcam enim à Nòé fabricatam, figurabatur Ecclesia Dei juxta doctrinam S: Augustini, lib: 15. de Civitate Dei dicentis: *Iam verò quòd Nòé homini justo imperat DEUS, quòd Arcam faciat, in qua cum suis & cum animalibus liberaretur à diluvii vastitate, procul dubio figura est peregrinationis in hoc sæculo civitatis Dei, hoc est Ecclesiæ, quæ sit salva per lignum in quo pependit Mediator Dei, & hominum, Homo Christus IESUS. Et cætera quæ in ejusdem Arcæ constructione dicuntur, Ecclesiasticarum signa sunt rerum.*

Et

Et tali Modô, nempe per fabricatiônem Arcæ myſticæ probavit Apoſtolos Chriſtus Dominus, quando dixit. *Euntes prædicate dicentes: quia appropinquavit Regnum cælorum*: prædicare enim per orbem univerſum, quid eſt aliud? niſi fabricare quandam grandem & admirandam Arcam, nempe Eccleſiam Dei. Hoc pariter ſignificare voluit Chriſtus Dominus quando dixit. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meā, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: & tibi dabo claves Regni cælorum, & quodcunq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunq; ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis:* ligare enim & ſolvere ſuper terram, quid eſt aliud? niſi ædificare Arcam Eccleſiæ, tum militantis, tum triumphantis. Probavit item eoſdem Apoſtolos per fabricationem arcæ, ſignificantis figuram Corporis humani, quando in multis Sancti Evangelii locis, monuit & docuit Apoſtolos, ut corpus ſuum componant, regant, & cuſtodiant juxta regulam rationis, illudq; ſpiritui ſubjiciant. Probavit item eosdem Apoſtolos

per fabricationem Arcæ significantis animam, quando dixit: *Qui invenit animam suam perdet illam, & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Probavit tandem Apostolos Christus Dominus per fabricationem Arcæ moralis in corde Apostolorum, quando dixit. *Sic nos decet implere omnem justitiam*; item quando eosdem Apostolos allexit, excitavit, & erudivit ad omnia virtutum genera exercenda.

Quintus modus probandi Novitios, est mandatum ingrediendi in Arcam. Talî modô probavit DEUS Optimus maximus virum justum Nöé cui post fabricationem Arcæ, demandavit ingredi eandem arcam dicens: *Ingredere tu & omnis Domus tua in arcam, te enim vidi justum coram me, in omni generatione hac &c.* Utiq; Domine DEUS jam sufficienter probâsti fidem, justitiam & obedientiam Nöé? præcepisti illi ut faceret arcam, fecit & perfecit; mandâsti ut in ea faceret mansiunculas, & bitumine liniret intrinsecùs & extrinsecùs, explevit mandatum: Ordinâsti ut longitudo arcæ sit trecentorum

cubito-

cubitorum, quinquaginta latitudo, & triginta altitudo, hoc totum, & alia multa sibi injuncta executus est Nòé juxta illud scripturæ: *Fecit igitur Nòé omnia, quæ præceperat illi DEUS.* Ad quid ergò ampliùs oneras servum tuum & præcipis, ut ingrediatur in arcam? *Ingredere tu & omnis Domus tua in arcam:* responsum ergo in promptu est: Satis quidem probata est Obedientia Nòé per fabricationem arcæ; Sed propter Exemplum totius Orbis, & majus experimentum ac excellentiam obedientiæ futuris sæculis, commendandæ, adhuc probanda erat per ingressum in arcam; in arca enim multò plura & majora erant patienda, quàm in ipsa fabricatione arcæ, ibi enim patienda erat àëris intemperies, Societas cum diversæ speciei animalibus, nox & tenebræ continuæ, ac ipsa magnitudo diluvii, totum orbem ac universam terram ipsosq; Montes, inundantis, quæ omnia postquam aspexerit Nòé, & in se expertus fuerit, tunc eo ipso probata est illius fortitudo, obedientia, & patientia, longè magis & ampliùs, quàm ex fabrica-

tione

tione arcæ, licèt per centum annos protracta.

Hoc totum considerans S. Chrysostomus, quantîs incommodîs, molestiîs, & ærumnîs, totô eô annô, quo fuit in arca obsessus, & conflictatus sit Nòé, excellentem ejus viri fidem cum incredibili patientia, & constantia conjunctam vehementer admiratur. Neq; humanis viribus, sed Divinæ gratiæ attribuit, quâ ille adjutus, tot & tanta mala superavit; nam si illa confirmâsset ejus mentem, & quæ valde difficilia erant fecisset levia, quomodò ille vivere tamdiu inclusus, tanquam in carcere & custodia & adversus tantos fluctuum impetus obsistere potuisset: nam qui in navi sunt, & velîs utuntur, & gurbernatorem ad clavum sedentem vident, & suâ arte ventorum viribus obnitentem, si quando fluctuum vident insaniam, saluti suæ timentes, propemodum exanimantur metu. Quid igitur de Nòé dicemus, qui velut detrusus in carcerem, huc illuc jactabatur, neq; cælum videre poterat, neq; aliquid, quod afferret consolationem? Quod si vel

ferrea

ferrea vel adamantina illis hominibus fuiſſent corpora, vix tamdiu potuiſſent durare; quippe quæ neq; àëre fruebantur, neq; ventô, qui non minùs quàm àër ad refocillanda corpora noſtra factus eſt, neq; oculos paſcere poterant, aut cæli, aut terræ ſpectaculo aliquo. Quomodò non excæcati ſunt oculi eorum, in illo tam tetro carcere? quomodò converſationem cum feris earumq; fætorem ferre poterant? quomodò ipſa bruta non periêrunt, quæ neq; àërem trahere neq; locô ſeſe commovere poterant? Hactenus Perevius ex S. Chryſoſtomo.

Sicut autem in ingreſſu in arcam ita pariter in egreſſu de arca probata eſt Nöemi obedientia, ſicut enim non eſt ingreſſus in arcam niſi jubente Deo, ita non eſt egreſſus de arca, niſi poſt mandatum Dei. Unde ſcribens ſupra illa verba Perevius. *Egredere de arca.* Inſtituit quæſtionem ſequentem. *Quid opus erat novô Dei mandatô ad* egrediendum? jam *finitum erat diluvium: terraq; in penitus exſiccata nullum ſupererat periculum; nihil deniq; erat, quod ad manendũ*

Lib. 8. Disp. 11. in Geneſim.

diutiùs in Arca invitaret, vel ab egrediendo tardaret præsertim cùm mansio hominum vel animalium in Arca, propter diluvii periculum necessaria fuerit: quo transacto, nulla ratio fuerat cur ulterius in ea manere deberet aut vellet Nòé; Cur igitur non statim sua sponte egressus est? verùm hic mirificè lucet excellens & perfecta Nòé obedientia, quippe qui arcam nisi jubente Deo, nec ingredi nec egredi voluerit. Recedente aquâ (inquit Ambrosius) *& siccatâ terrâ exire potuit Nòé de Arca; sed justo nihil sibi arrogat, sed totū se Divino committit imperio. Et Maximè, qui cælesti fuerat ingressus oraculo, cælestè debuit, ut egrederetur, expectare responsum, Verecunda enim justitia est, quia inverecunda iniquitas, quæ usurpat indebita, nec reveretur auctorem.*

Lib. de Nòé & Arca c. 21.

Quod DEUS Optimus maximus fecit cum Nòé; hoc totum Christus Dominus, complevit in Apostolis; videlicet & ille probavit Apostolos, demandando illis, ut ingrediantur in Arcam, nempe in ecclesiam suam à se conditam, fabricatam, erectam, & institutam

juxta illud scripturæ: *Hos duodecim misit JESUS, præcipiens & dicens eis: in viam gentium ne abieritis, sed potiùs ite ad oves quæ periêrunt domûs Israël.* Et infra: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* Sicut autem Nòé post ingressum in Arcam passus est universa diluvii pericula; ita Apostoli post ingressum in arcam mysticã ecclesiæ, planè generale periculorum diluvium experti sunt, sicut ingrediente arcam Nòé rupti sunt omnes fontes, abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluvia super terram quadraginta diebûs & quadraginta noctibûs: ita intrantibùs arcam ecclesiæ Apostolis, eruperunt subitò omnes fontes Tyrannorum, qui tanquam abyssus quædam magna, conati sunt devorare & absorbere Apostolos. Apertæ sunt cataractæ Regnorum, Provinciarum, & urbium, contra Apostolos, & facta est ingens pluvia persecutionis, non tantùm quadraginta diebûs vel noctibûs, sed per totum tempus vitæ Apostolicæ. Sicut ingrediente Arcam Nòé ingressum est omne animal secundùm genus suum, universaq; jumenta

in genere suo, cunctumq; volatile secundùm genus suum: ita ingredientibûs arcam Ecclesiæ Apostolîs, ingressæ sunt in eam omnes gentes ex omni natione, quæ sub cælo est. Sicut ingrediente arcam Nòé factum est diluvium, et aquæ elevaverunt arcam in sublime à terra: ita ingredientibûs arcam Ecclesiæ Apostolîs, factum est diluvium persecutionis magnæ, & aquæ persecutionis elevaverunt Ecclesiam Christi, usq; ad cælos. Sicut ingrediente Arcam Nòé, consumpta est omnis caro super terram, ita ingredientibûs arcam Ecclesiæ Apostolîs, consumpta sunt omnia simulacra & idola gentium per totum orbem; tandem sicut protunc remansit solus Nòé super terram, & qui cum eo erant in Arca; ita sub tempus diluvii hostilis contra Ecclesiam, remansit solus Christus ac omnes Apostoli & Discipuli, qui cum eo perseverârunt in Arca Ecclesiæ. Ad extremum sicut per diluvium & perseverantiam in Arca, probatus est Nòé, tum obedientia ac patientia ipsius, ita per omnes fluctus & procellas persecutionum, probati sunt Apostoli, eorumq; obedien-

obedientia, ac patientia in Arca Ecclesiæ.

Quælibet in particulari Religio quid eſt aliud? niſi arca quædam alterius Nóé, videlicet Chriſti Domini, ab illo non de vulgaribus lignis, ſed de ligno crucis facta, ac proprio ejus ſanguine, tanquam bitumine intrinſecùs & extrinſecùs linita. Quicunq; ergo Novitii veniunt ad Inſtitutum Religioſum amplectendum, hos ſi vult probare magiſter, dicat ſigillatim unicuiq; *Ingredere tu & omnis Domus tua in arcam*: hoc eſt ingredere in arcam Religionis non tantùm ſolo corpore, ſed etiam animâ & ſpiritu, ac toto corde tuo quó autem fine & intuitu? non alio, niſi ut in hac arca experiaris omnia pericula, tentationes, & incommoda, ita ut ſi etiam grande ac generale diluvium perſecutionum ac tribulationum veniat ſuper te, id totum minimè abhorreas, ſed tanquam alter Nóé, vel tanquam unus eſſes ex Apoſtolis, omnia fortiter ſuſtineas. Et certè ſi volunt novitii faciliùs annum probationis expedire, ſvaderem illis, ut Religionem ſuam repræſentent ſibi ante

 oculos

oculos tanquam arcam Nöé à fluctibus diluvii agitatam, & undiq; jactatam, simulq; ipsum Nöé ac Apostolos tremenda pericula in hac arca sustinentem, horumq; omnium contemplatione ac memoriâ ut excitentur & provocentur ad sustinendas austeritates Religionis: si enim semel viva fide conspexerimus, quantum sit passus Nöé in arca à se fabricata, & quantum Apostoli in Arca Ecclesiæ à Christo condita? impossibile est ut non provocemur ad sequenda eorum patientiæ, obedientiæ, ac probationis vestigia.

Sextus modus seu industria probandi Novitios, in profectu obedientiæ est investigare utrũ egressi fuerint de terra sua de cognatione sua & domo Parentum suorũ? Multi enim cũ veniunt ad Religionem, videntur deseruisse terram suam, cognationem suam, & domum Patris sui, sed postquam contraxerint aliquod domicilium intra portam, corpore manent in Religione, spiritu autem in terra, cognatione, & domo Parentum. Proinde ut hæc hypocrisis non prævaleat in Religionibus, tempestivè, investi-

gandi & probandi Novitii, utrum perfectè terram, cognationem & domos Parentum deseruerint? Talî modò probavit Apostolos ipse Christus Dominus, ut constat ex verbis ipsius Matth. 10 ubi inquit. *qui amat Patrem aut matrem, plùs quàm me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus*: hîs enim verbîs nihil aliud inculcat Christus Dominus, nisi hoc, ut imitatores ejus non diligant plus Patrem aut Matrem, item filium vel filiam, consequenter suadet ut egrediantur de terra sua, de cognatione sua, & de domo Parentum suorum. Hoc ipsum innuit Lucæ 14 dum inquit: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & Uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Talî etiam modô probavit DEUS Abraham Genes: C 12. ubi inquit ad eum: *Egredere de domo tua & de cognatione tua & de domo Patris tui, & veni in terram, quam Monstravero tibi.* Super quæ verba scribens Pererius, instituit quæstionem, quare DEUS distinctè singula tria posuerit:

fuerit: imo egredere de domo tua; 2do de cognatione tua, 3tio de domo Patris tui? *Sed cur distinctè & separatim posuit DEUS, egressum ex terra, & ex cognatione, & ex Domo Paterna, cum in primo contineantur duo posteriora: derelictâ enim Patriâ, necesse erat derelinquere cognatos, & Paternam familiam, quæ inibi sedem habebat. An propterea DEUS distinctè illa tria posuit, quod in singulis illorum trium, inerant præcipua & propria quædam mala, omninò vitanda & fugienda Abrahæ, ut probitati ac pietati ejus plane contraria? An potiùs illa distinctè commemoravit DEUS, quo vehementiùs commoveret naturalem penitus infixum animo Abrahæ erga illa tria affectum & amorem? etenim singula illa maximam habent vim & potentiam in hominis animum, ut non illa non tantô studiô amare possit, nec ab illis, nisi quàm ægerrimè ac violentissimè abstrahi patiatur? quid enim jucundius consvetudine & convictu cognatorum? quid dulcius natalî solô? quid paterna domo svavius, & ad retinendum hominem efficacius? Hæc igitur tria separatim DEUS proposuit, quo magis* tentaret

tentaret per singula animum & affectum Abrahæ, atq; ea ratione magis exerceret probaretq; fidem & fiduciam atq; obedientiam Abrahæ. Etenim magnæ fidei & excellentis obedientiæ fuit iis quæ nota certa & carissima erant posthabitîs, extranea & ignota atq; si humana ratione & prudentia æstimentur, etiam nimis ardua & incerta ac periculosa consectari. Ad hoc spectâsse videtur Sanctus Ambrosius, ad hunc modum scribens: satis fuerat dixisse egredere de terra tua; ibi enim erat exire de cognatione & exire de domo paterna. Sed ideo addit & singula, ut ejus affectum probaret, ne fortè aut imprudenter cœpisse videretur, aut fraus aliqua mandatis cœlestibus pararetur. Sed sicut coacervanda fuerunt præcepta, ne aliquid lateret, ita etiam proponenda præmia, ne fortè desperaret. Tentatur, ut fortis, incitatur, ut fidelis, probatur, ut justo. Hoc est quod pro magno; inter septem sapientum dicta celebratur: Sequere DEUM. Ita profectò prævenit Abram dicta sapientum, & secutus DEUM, exivit de terra sua.

Ex hoc toto progressu, quo DEUS

probavit Abram, debet quilibet magister desumere normam probandi suos novitios ad perfectionem Evangelicam & Apostolicam properantes, utrùm videlicet terram suam perfectè deseruerint, utrùm libenter cognationi renuntiaverint? utrùm tandem domum paternam promptè abdicaverint? Abram enim & factum est ipsius, erat figura vocationis eorum omnium, qui ad perfectionem vitæ Evangelicæ & Apostolicæ tendunt, ut expressè docet citatus Pererius dicens: *Factum Abrahæ tam promptè & alacriter iis rebus omnibus sese abdicantis, quas habebat ipse carissimas & jucundissimas, insigne fuit quasi specimen quoddam & exemplar, futuræ olim tempore legis Evangelicæ abdicationis, & renuntiationis omnium rerum temporalium, quam plurimi facturi erant, propter ardentissimum studium adipiscendæ perfectionis virtutum omnium, & imitandi Christi Domini nostri qui eam renuntiationem exemplô suô firmavit, & gratissimîs verbîs docuit, atq; commendavit, cùm dixit: si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes &*

Perevig inGenes cap. 12. fol. 8.

sequere

ſequere me; &: *Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ejusdemq; renuntiationis quaſi ſpeciem & formam, multò ante adumbraverat & præſcripſerat David illîs verbîs, quæ ad Eccleſiam Chriſti pertinent ex in fidelibus Gentibus collectam: audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum.* Pſal. 44.

Si ergo Abraham tantùm figura & umbra omnium vocandorum ad perfectionem Evangelicam, tam ſtrictè & exactè probatus fuit à Deo, quantò magis probandi ſunt, quibus promulgata eſt lex Evangelica? Si Abraham nondum audiens legem Evangelicam, tam promptè, tam libenter, & alacriter deſeruit terram, cognationem, & domum Patris ſui, quantò magis & perfectiùs tenentur hæc omnia deſerere Novitii, legis Evangelicæ notitiam habentes? Hoc autem ut exequantur novitii, ad magiſtrum eorum pertinet ut continuò ingeminet, repetat, & clamet ad unumquemq: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de Domo Patris tui.*

§ III.

§ III.

In quo proponuntur alii modi probandi Novitios in profectu obedientiæ.

Septimus modus probandi Novitios in profectu obedientiæ, est præcipere ipsis ingredi, & arripere aliquod iter, non tamen illis expressè nominare, quo, & ad quem determinatè locum ituri sint. Talî modô probavit Apostolos Christus Dominus Matth: Cap. 10, ubi mittens illos ad prædicandum Evangelium, non determinavit illis certum aliquem locum v: g: civitatem, oppidum, villam, aut castellum, vel Provinciam, sed indeterminatè dixit: *Euntes autem prædicate dicentes, quià appropinquavit Regnum cælorum.* Simile quid habetur Matth: 24. Ubi inquit Christus: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes &c:* in quo scripturæ textu, neq; gens, neq; natio ulla, vel locus nationis nominatur

aut

aut ſpecificè exprimitur, ſed indeterminatè dicitur: *docete omnes gentes.* Hujus rei documentum & in aliis S. Evangelii locis facilè reperies.

Talî etiã modô probavit DEUS Abram, poſtquam enim illi dixit DEUS: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui;* non determinavit ipſi, nec expreſsè nominavit terram ad quam ſe convertere deberet, ſed ad quandam terram indeterminatè talem, juſſit eum venire dicendo: *Et veni in terram quam monſtravero tibi.* In quæ verba ſcribens Pererius inquit. *Cùm DEUS juſſit Abræ egredi ex chaldæa, non indicavit ei nomen, proprium terræ ad quam venire eum, jubebat, poſtquam autem ſe ad iter accinxit aut egreſſus eſt, nomen proprium ejus terræ declaravit, idq; fecit, quò magis fidem, fiduciamq; atq; obedientiam Abræ exerceret, probaretq;.*

Sed fortè dicet aliquis, licet DEUS, probaverit Abræ obedientiam hâc induſtriâ, quod eum juſſerit egredi de terra, cognatione, & domo patris ſui, non oſten-

ostendendo ei nec indicando ad quam terram se convertere deberet, tamen ei postea hanc terram, postquam iter esset aggressus indicavit, vel per revelationem, vel per aliquem instinctum, sive internum sive externum. Magister autem non potest quidquam indicare per revelationem, vel instinctum internum, imò nec externum si fuerit absens, consequenter non potest probare novitios ita, ut subticeat coram illis denominationem loci aut itineris quod aggressuri sunt? Respondeo certum esse quod (ordinariè loquendo) magister per revelationem aut instinctum internum vel externum consistentem in aliqua qualitate externa supernaturali, non potest indicare id quod coram novitiis subticuit: potest tamen id facere vel per subordinatas Personas, vel per aliquid simile, adeoq; potest illos hac industria probare, ut non determinet illis, nec nominet illum locum ad quem ire debeant.

Octavus modus probandi novitios, est illis offerre vel permittere talia, quæ ad illos non spectant, vel quibus illi ipsi

ipsi se sponte exuerunt per arreptam & susceptam vocationem Dei. Tali modô probavit Apostolos Christus Dominus: quamvis enim Apostoli exuerint se omnibûs bonîs temporalibûs, tamen illis eadem bona sponte dabantur & offerebantur ut constat Actorum Cap. 4. *Quotquot enim possessores agrorum & domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum distribuebatur autem singulis prout cuiq; opus erat.* Porro per oblationem hanc pretiorum, & distributionem eorundem per Apostolos, sufficientissimè probata est virtus Apostolorum, in contemnendis bonis temporalibus. Taliter DEUS probavit Abram per Regem Sodomorum, cùm enim Abram vindicáret ab hostibus. Fratrem suum Loth cùm universa substantia ejus, mulieres quoq; & populum ac totam fortunam Regis Sodomorum captam simul ab hostibus cum substantia Loth tunc cùm Abram rediret cum victoria egressus est Rex Sodomorum in occursum ejus, & dixit ad Abram: *Da mihi animas, cætera tolle tibi;*

hoc

hoc est redde mihi meum populum salvum, illæsum, & integrum, & vivum; reliqua autem omnia aurum, argentum, & quamcunq; substantiam ac divitias mei populi, tibi in vim prædæ accipe: Quid ad hæc respondit Abram? ecce inquit: *Levo manum meam ad Dominum meum excelsum, possessorem cæli & terræ, quod à filo subtegminis usq; ad corrigia caligæ, non accipiam quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditavi, Abram.* Quid præcor fortius erat ad vincendum capiendumq; cor Abræ, quàm tota substantia & fortuna populi alieni vindicati ab hostibus? & tamen nihil de ea etiam prætextu prædæ participavit Abram, ideo autem nihil participavit: quia Abram (ut loquitur Pererius) *insectaturus illos quatuor Reges, qui fratrem ejus Loth Captivum abduxerant, priùs ardentem orationem ad Dominum, fudit, quòd si ei DEUS victoriam concederet, jure jurando obstrinxit, nihil se de bonis eorum accepturum, sed homines tantùm ab hostibus captos à servitute erepturum.* Quoniam igitur jurejurando se obstrinxit Abram se nihil de bonis populi per se liberandi

Pererius in Genes. c 14. fol. 204.

acce-

accepturū, quare ergo permiſit DEUS in ipſum, ut Rex Sodomorum offerret illi omnia bona ſui populi? reſpondit Pererius, quod per hoc voluerit eum DEUS probare; dicit enim præfatus Author. *Probavit eum* (id eſt Abraham) *cum fidei titulo fretus, liberavit nepotem, cum de præda nihil attigit.*

Sicut ergo Abraham etiam in his probatus eſt, circa quæ ſe ipſum jurejurando obſtrinxit, ita Novitii, multò magis Profeſſi probari poſſunt in illis, ad quæ ſe votis vel aliqua promiſſione obligârunt: probari autem poſſunt tali modo, ſicut probatus eſt Abraham, videlicet permittendo illis ea, ad quæ relinquenda illi ſeipſos vel per purā promiſſionem, vel per aliquod votum obligârunt: ſi hæc ſuſcipiant, quæ per vota reſignârunt, ſignum erit, quod ſuæ vocationis & profeſſionis ſint immemores: ad Magiſtrum ergo pertinebit ut acquiſitâ notitiâ de ſpiritu eorum, per immediatum modum probandi, occurrat malis imminentibus.

§ IV.

In quo proponuntur alii modi probandi Novitios in profectu obedientiæ.

Nonus modus probandi novitios, est illis adimere nomen antiquum & novum imponere. Taliter DEUS probavit Abraham Genes: 17. *Postquam verò nonaginta & novem annorum esse cæperat, apparuit ei Dominus dixitq; ad eum: ego Dominus omnipotens; ambula coram me & esto perfectus. Ponamq, fædus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. Cecidit Abraham pronus in faciem. Dixitq; ei DEUS: ego sum & ponam pactum meum tecum, erisq; Pater multarum gentium. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham quia Patrem multarum gentium constitui te.* Ubi notandum est, quod postquam DEUS moneret Abram ut ambularet coram eo, & esset perfectus, post hæc etiam nomen ejus, mutandum esse censuit; *nec ultra nomen tuum vocabitur Abram, sed appellaberis Abraham.* Ut

nos

nos doceret quod qui vult ambulare coram Deo & esse perfectus, non tantum vitam, sed etiam nomen antiquum mutare debeat. Simile mandatum dedit DEUS circa nomen uxoris Abrahæ: *Dixit quoq; DEUS ad Abrahã, Sarai uxorem tuam, non vocabis Sarai sed Saram.*

Neq; ista mutatio nominis est otiosa, sed aliquando mysteriosa, ut contigit in præfato Abraham, qui inter alias rationes hoc fine mutatum nomen accepit, ut esset Pater spiritualis multarum gentium, & ut ex homine cæli fieret homo Dei. Audiamus hac in parte Philonem, qui scribens super hunc locum scripturæ inquit: *Abram qui diu hærebat in terra, & opinionibus Chaldæorum, & nondum mutato nomine vocabatur, Abram homo cæli erat, sublimis & æthereæ naturæ scrutator, in effectibus, eorumq, causis philosophando, ex quo studio etiam appellationem sibi quæsivit, ut Abram diceretur, quippe id nominis significat Patrem sublimem; apellatione scilicet homini consideranti sublimia & cælestia; perquam accommodata. Verùm*

Philo. in libr: de Gigantibo lib: de Abramo.

quando jam seipso melior, nomen erat mutaturus, ex homine cæli, factus est homo Dei, juxta redditum sibi Oraculum; Ego sum DEUS tuus, da operam ut te mihi probes; & esto inculpabilis. Quodsi unus totius mundi DEUS, singulariter dictus est DEUS Abraham; necesse quoq; est, præcipua quædam & propria ratione, hominem Dei fuisse ipsum Abram. Neq; id non indicavit mutatum ejus nomen, appellatus est enim Abraham, quod interpretetur Pater electus soni, seu vocis. Id autem est intellectus probi viri, est enim electus, purgatus, & pater vocis, quâ & Dei voces personamus, eiq; in omni vita, dictis, factisq; nostris, quo ad ejus fieri potest, consonamus.

Parî modô quamdiu novitii hærebant in terra & in opinionibus amatorum sæculi hujus, vocabantur & quodam modo erant homines cæli, homines sublimes opibus, divitiis, & superbiâ plane innatâ, cælum tangentes, despicientes intueri terram, sed nonnisi cælum spectantes: sed postquam sæculum deseruerunt & incipiunt fieri meliores seipsis, nomen eis mutandum, ut

ex

ex hominibus cæli, fiant hommines Dei: ad quemlibet enim novitium clamat & intonat DEUS: *Ego ſum Dominus DEUS tuus, da operam ut te mihi probes, & eſto inculpabilis.* Ubi autem ſe ipſum probare debeat novitius, vel probari ab aliquo, ſi non in anno probationis, ſufficienter autem ſe ipſum probabit, ſi ex homine cæli, id eſt ex homine ſolos cælos & ſidera ex curioſitate ſciendi ſpectante, fiet præcipua & propria quadam ratione homo Dei, ſi mutato antiquo nomine fiet Pater electus, purgatus, & Pater vocis talis, qua Dei laudes continuo perſonabit, eidemq; Deo in tota vita ſua, dictis, factisq, quantum fieri poteſt, exactè conſonabit. Mutatio nominis ex Abram in Abraham, ſignificavit fuiſſe eum mutatum ex homine Philoſopho, in virum ſapientem & plane Divinum, ut docet Philo: eâdem ratione vel ſimili, mutatio nominis in Novitiis, quid aliud ſignificat, & ad quem finem practicatur in Religionibus? niſi ut Novitii ex hominibus Philoſophis, ſola terrena & mundana ſpeculantibus mutentur in viros ſapientes &

plane Divinos? Homini Meteoro logico [inquit Philo] nihil majus videtur mundò, quem etiam ſupremum exiſtimat rerum Authorem. At vir ſapiens certioribus oculis videns illum perfectiorem mundi Rectorem ac Principem, cujus Dominium agnoſcunt cætera & imperata faciunt; ſæpe anteactam vitam ſuam incuſat, in qua velut cæcus tenebras palpans nitebatur, rebus ſenſibilibus ſuapte natura infirmis atq; caducis. Quoniam igitur nomina novitiorum hoc fine mutantur, ut evadant ſapientes, proinde ad illorum ſapientiam ſpectabit, ut certioribus oculis videntes perfectiorem rerum Rectorem ac Principem, nempe Deum ipſum, frequenter anteactam vitam ſuam incuſent, de malefactis, doleant & tenebras illas in quibus antea verſabantur totaliter deſerant, ſicq; fiant homines Divini.

Decimus modus probandi novitios eſt, illis etiam provectis ac ætate maturis imponere, talia opera ad exequendum, quæ juniori ætati competunt. Taliter probavit DEUS Abraham, cum illi plus quam nonagenario præceptum circum-

circumcisionis daret, ut constat Genesis 17. *Dixit iterum DEUS ad Abraham: & tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum meum quod observabitis inter me & vos; & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum; & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis; omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus quàm emptitius circumcidetur; & quicunq; non fuerit de stirpe vestra, eritq; pactum meum in carne vestra, in fœdus æternum. &c. &c.* Licet autem circumcisio sit magis propria, facilior infantibus, quàm provectis & senibus; tamen etiam Abraham licet esset provectus ætate, jussus est circumcidi, & defacto eadm die qua præceptum recepit à Deò circumcisus est; *Abraham nonaginta erat & novem annorum, quando circumcidit carnem præputii sui.* O rem admirandam & factum stupendum! Abraham nonaginta novem annorum implevit præceptum Circumcisionis, & nos adhuc juvenculi, minora

præcepta ſuperiorum implere non poſſumus.

Quod itaque fecit DEUS cum Abraham, hoc faciat magiſter cum ſuis Novitijs, qui licet plus quam nonagenarii eſſent, tamen illis plerumq; etiam hæc injungenda ac imponenda ſunt, quæ infantibus vel pueris ac nondum maturis imponi deberent. Et ſic inter alia deberet illis imponi præceptum circumciſionis non jam carnalis, ſed ſpritualis, conſiſtentis in abſciſſione vitiorum, & connaturalium paſſionum. Et hac circumciſione ſpirituali probavit Apoſtolos Chriſtus Dominus, ut conſtat ex toto evangelio, & ſpecialiter Matth. Cap: 5. ubi inquit: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te &c. Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te abſcinde eam & projice abs te &c.* De hac circumciſione ſpirituali multa eſſent dicenda, ſed quia hoc ipſum, recurrit, alibi tractandum, nempe in 3tia Parte, ideo illuc Lectorem remittimus.

§ V.

§ V.

In quo proponuntur alii modi, probandi Novitios in profectu obedientiæ.

Undecimus modus seu induſtria probandi Novitios eſt, promittere ipſis aliquam gratiam, quando protunc & eo tempore, non eſt ordinariè vel moraliter ſperabilis. Sic DEUS probavit Abraham quando ei promiſit tunc Filium naſciturum, quando ille erat centenariùs, & Sara uxor ejus nonagenaria: porro centenarii, & nonagenarii, non eſt ordinariè vel moraliter ſperabile, ut pariant. Probatio hæc Abrahami conſtat ex Geneſis Cap: 17. Ubi dicitur. *Dixit quoq; DEUS ad Abraham: Sarai Uxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus ſum, eritq; in nationes; & Reges populorum, naſcentur ex eo: cecidit Abraham in faciem*

ſuam,

ſuam, & riſit in corde ſuo dicens; Putasne centenario naſcetur filius? & Sara nonagenaria pariet? Quod autem hoc loco probaverit DEUS Abrahamum ſententia eſt Pererii dicentis: *Pobavit eum* (id eſt Abrahamum) *cum promiſit ſeni filium, & quamvis eſſet centum annorum, & Saræ vulvam, conſideraret emortuam, tamen credidit, nec fide hæſitavit, qui hæſitare poſſet ratione ſterilitatis & ſenectutis.*

Pererius ſuper Genes. c. 22. fol. 575.

Ex hoc progreſſu Dei cum Abraham & Magiſtri habent doctrinam, quòd ſcilicet poſſint probare novitios promittendo illis ea, quæ non ſunt ordinarie moraliter ſperabilia: Et novitii ut credant promiſſis ſuorum Magiſtrorum, ſicut credidit Abraham.

Duodecimus modus, ſeu induſtria probandi novitios eſt, illis prohibere res etiam parvas & minutiſſimas. Tali modo probavit Apoſtolos Chriſtus Dominus, quibus inter alias doctrinas dedit etiam hanc. *Nolite putare quoniam veni ſolvere legem aut Prophetas, non veni ſolvere ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum*

& terra,

& terra, jota unum, & unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno cælorum; qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cælorum. Quoniam ergo in immediato textu, præcepit Christus Dominus etiam minima præcepta servari ab Apostolis, consequens est quod illos per observationem etiam minimorum mandatorum probare voluerit.

Talî modô probavit DEUS Lot Fratrem Abrahæ, prohibendo ipsi ne respiceret retro, videlicet ad civitatem Sodomam, de qua Angelorum ministerio eductus fuerat. *Salva animam tuam, noli respicere retro, nec stes in omni circà regione.* Super quæ verba scribens Pererius quærit: Cur DEUS tam severè ac rigidè vetuit Loth, quæ retro erant aspicere? hujusq; ipsius rationem dat, quod hoc fecerit DEUS ad probandam & exercendam obedientiam Lot, id ei præceptum est: *Obedientia enim in iis quæ parva & levia videtur, exploratio probatur. Sic DEUS probare voluit obedientiã* *Genes. c: 19.*

Adæ

Adæ, prohibens unius arboris fructum edere. Similiter probare voluit DEUS obedientiam ejus Prophetæ, quem misit ad increpandum Ieroboam, mandans ei: Non comedes panem, neq; bibes aquam ibi, nec reverteris per viam qua ivisti. Nimirum non magna laus obedientiæ est, nec satis efficax probatio, in maximis & gravissimis mandatis Dei exequendis impigrum & strenuum esse.

§ VI.

In quo proponuntur alii modi probandi Novitios, in profectu obedientiæ.

Decimus tertius modus seu industria probandi Novitios est, illis adimere hoc quod maxime diligunt afficiuntur, & ad quam rem maxime propensi sunt. Tali modo probavit Christus Dominus Apostolos; illi enim ante vocationem suam, maximè diligebant retia, ex quibus victum & amictum habebant & hæc ademit eis Christus; Apostoli item

item maxime diligebant, temporalia uti uxores, fratres, sorores, & alia his similia; sed etiam ab his separavit eos Christus Dominus: Apostoli item pari modo diligebant voluntatem propriam, & hanc ademit eis Christus, cum dixit Petro; Joan. 21. *Cum esses junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis* Tandem quid magis poterant diligere Apostoli, quàm vitam ipsam? & tamen etiam hanc pro Christo perdiderunt. Tali item modo probavit DEUS Adam, cui Abel filius maximè dilectus, per Cain ablatus est, & Jacob cui filius Joseph præ cæteris dilectus, per fratres germanos Jsmäélitis venditus est, & David Regem, cui etiam flenti, pænitenti, ac deprecanti, filius ex Uria natus, mortuus est. Tali modo probavit DEUS Job, cujus corpus (quod maximè homines diligunt) à planta pedis usq; ad verticem Capitis ulcere pessimo percussum est, & Thobiam cui oculi ex membris omnibus maxime necessarii permittente Deo caligaverunt.

Tali

Tali ad exteremum modo probavit DEUS Patriarcham Abraham ut constat Genesis Capite 22. *Quæ postquam gesta sunt, tentavit DEUS Abraham & dixit ad eum: Abraham Abraham; & ille respondit: adsum: ait illi: Tolle filium tuum unigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atq; ibi offeres eum in holocaustum, super unum montium quem monstravero tibi.* Quid magis diligant homines quàm filios unigenitos? cui rei maxime afficiuntur, & ad quid sunt maximè propensi, quàm ad proprios liberos? DEUS ergo Optimus Maximus, ut probaret obedientiam Abrahæ, etiam filium unigenitum, quem maximè diligebat Abraham, jubet sibi offerri in holocaustum. De hac probatione Abrahæ, Sanctus Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 8 inquit: *Aliter DEUS tentat, aliter diabolus: diabolus tentat ut subruat, DEUS tentaut ut coronet. Denitq; probatos sibi tentat DEUS, unde David dixit: Proba me DEUS, & tenta me, & Sanctum Abraham probavit ante, & sic tantavit, ne sic ante tentaret, quàm probâsset, gravaret. Probavit eum, cum*

exire

exire de terra jussit, & reperit obedientem. Probavit cum fidei titulo fretus, liberavit nepotem, cum de præda nihil attigit, cum promisit seni filium, & quamvis esset centum annorum & Saræ vulvam consideraret emortuam, tamen credidit, nec fide hæsitavit, qui hæsitare posset ratione sterilitatis & senectutis. Probavit etiam eum hospitii sedulitate. Probatum igitur, quasi fortiorem tentandum putavit, & quibusdam imperiis durioribus. Et hoc quidem exemplo docemur, quia, verîs probatur quis; tentatur autem sæpe compositîs & fictîs. Non enim volebat DEUS immolari à Patre filium, nec impleri hoc munus volebat, qui ovem pro filio immolandam obtulit; sed tentabat affectum Patris, si Dei præcepta præferret filio, nec paternæ pietatis comtemplatione, vim devotionis inflecteret.

Similia habet & Sanctus Augustinus Quæst: 57 in Genes: *Tentatur Abraham de immolando dilectissimo filio suo Isaac, ut pia ejus obedientia probaretur, sæculis in notitiam proferenda, non Deo. Neq; enim omnis est culpanda tentatio, quia & gratulanda est, quâ fit probatiò.*

Tandem

Tandem Pererius expreſsè agnoſcit cap. 22. in Genes: probationem Abrahæ, dum inquit. *Non eſt dubium quin illud Dei præceptum de immolando Iſaac, non ex Deï abſoluta & efficaci voluntate profectum ſit, nec eô conſiliô datum, ut impleretur; nam & hoc exitus ipſe declaravit, prohibente Deo fieri, quod antea fieri præcepiſſe videbatur. Fuit ergo præceptum illud quaſi tentamentum quoddam, & experimentum animi ac virtutis Abrahæ; quo ſcilicet præcellens ejus fides & obedientia, notior omnibus atq; illuſtrior exiſteret.*

Tandem de hac probatione Abrahæ, egregiè diſcurrit Didacus de la Vega, Dominicâ in Albis; ubi ſic inquit. *Quot quantisq; coticulîs & bolidibûs tentavit DEUS Abrahæ fidem, ut mundo eniteret ipſius conſtantia, ac conſequenter doceret nos ſtabilire ſpem noſtram in ipſum. Mandat huic, ut unicum animæ ſuæ oculum eruat, ut unicam ſuam ſcintillam exſtingvat. Tolle filium tuum quem diligis Iſaac. Reſpondet: libentiſſimè Domine. Videbatur id Deo ſatis eſſe debere; quippe qui ceu ſcrutator cordium probè cognoverat,*

fictum minimè esse responsum illud, aut perfunctoriè tantùm prolatum. Sed ideo non mittit eum, intempestæ noctis surgat à somno, tempore; filium suum quoq; expergiscat, asinum sternat, domo exeat, & itineri se accingat. Hem Domine, sufficiat quod omnium difficillimum expletum sit; Abraham firmiter statuit mandatis parere tuis; imò jam dictis inceperunt respondere facta: si itineris primus dies plus reliquis, habet laboris in Abraham? peregit eum. Nihilominus neque hoc satisfacit mihi: volo ut ulterius extendatur tentatio: perrexit itaq; ad montem, ligna cecidit, quibus cremandum erat sacrificium: quæ sanè sufficiebant, ut dolore accenderent Abrahæ cor, tametsi lapideum esset, imposuit ea humeris pueri quærentis: Pater mi en ligna ego defero, tu verò ignem in pectore, & in manu gladium: victima autem ubi est? agnum aut vervecem jugulandum non video? O amica & blanda filii verba, sed Patri dura amaraq? adeo quidem, ut sufficiant saxea conterere corda. Domine si cum hoc viro dissimulas? quæso aspice quod molesta sit fictio ista; anxietate & mærore

conficietur brevi; eripe eum nunc à tentatis doloribus, & dic non moriturum filium suum Isaac, sed ipsius locò vervecem. Verùm dirioribus doloribus divexari, & ad majores tribulationum angustias eum cogi volo: quô amplior evadat ipsius fides. Ascendit in supercilium montis; altare composuit; deinde filium suum vinctîs à tergo manibûs, & velatîs oculîs, super illum extendit. Gladium arripit, vibrat, & invictô animô brachium attollit, ictum mox demittit ensîs sui chalybe indurati, acie àërem fundens, cumq; inter ipsum, & filii morigeram cervicem, vix intercederet pilus, tunc primum cohibuit brachium Angelus, dicens: non progrediatur ulteriùs probatio o! Abraham! mihi plenè satisfactum ducô: sed ô Domine quam obrem tam serò distulisti? Quia misericordiæ Divinæ, non est serò, neq; citò, quæ semper opportuno adest tempore; ut discat mundus, nunquam in dubium vocare auxilium meum, etsi longum tempus differri videatur. Hactenus Didacus.

Ex dictis immediatè jam constat; quomodo DEUS in præfato & adducto, loco probaverit. Abraham; sed objectum, inquo

inquo eum probavit notandum & diligenter ſpectandum eſt. Probavit ergo ipſum in tali objecto, quod ille maximè diligebat, nempe in filio unigenito. Proinde & Magiſter, ſi vult rectè probare ſuos novitios, ſimilî formâ cum illis uti debet: nempe adimendo illis, vel eos privando hac re, ſive objectô, quod maximè diligunt. Sicut ergo diverſæ ſunt qualitates & paſſiones hominum, ita etiam pro diverſitate earum, alii hæc, alii illa magis diligunt. Sic v. g. alii diligunt magis pecuniam, quàm punctum honoris: alii punctum honoris, quam pecuniam: & quæcunq; alia bona etiam innumera: Alii meliùs æſtimant bonam famam & opinionem apud homines, quàm aliquid utile: alii magis Parentes, Conſangvineos, amicos familiares, quàm Deum: alii Deum omnibus præferunt. Præterea plus valet apud nonnullos canis venaticus, quàm homo Chriſtianus; & ſic eundo per omnes ſtatus hominum, ſinguli ferè habent quod præcipuè diligunt, & ita plerumq; ſunt objectis etiam vilibus affecti, ut malint omne aliud detrimen-

tum pati, quàm rem ſibi dilectam amittere. Et hoc contingit etiam in his, qui ad vitam religioſam deveniunt; hi enim poſtquàm majora deſeruerint, minoribus valdè immerguntur, & difficilè ab eis retrahuntur, poſtquàm ergo Magiſter hunc & alterum novitium viderit alicui rei nimis affectum eſſe, ad eamq; valde propenſum; ab hac illum ſeparet, uſum ipſius interdicat, vel penitùs rem accipiat, & ſic facile patebit obedientia, vel inobedientia cujuslibet Novitii.

Decimus quartus modus probandi Novitios eſt: illos cohibere, ſeu retrahere ab aliqua actione, quam illi ſive propriô, ſive alienô motu inchoaverint. Talî modô probavit Chriſtus Dominus Apoſtolos, cùm enim Petrus eximeret gladium ſuum, & percuteret ſervum Principis Sacerdotum, amputaretq; auriculam ejus; cohibuit eum JESUS ab hoc impetu, dicens: *converte gladium tuum in locum ſuum; omnes enim qui acceperunt gladium, gladiô peribunt.* Præterea cum Chriſtus Dominus veniret in villam quæ dicitur Gethſemani,

ibiq; procidens in faciem ſuam oraret, tunc Apoſtoli interim obdormierunt. Videns ergo Chriſtus Dominus Apoſtolos dormientes, venit ad eos, & dicit Petro: *Sic, non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum? Vigilate & orate ut non intretis in tentationem.* Sed cum Apoſtoli iſtam cohibitionem non exequerentur, nec à ſomno deſiſterent, venit iterum ad illos, & invenit eos dormientes, & relictis illis abiit: tandem cum Apoſtoli ampliùs dormirent, tunc venit ad Diſcipulos ſuos, & dicit illis: *dormite jam & requieſcite; ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum: ſurgite eamus, ecce appropinquabit qui me tradet.* Talî etiam modô probavit DEUS virum Sanctum Iſaac: qui poſt acquiſita à fratre ſuo primogenita, deſtinaverat pergere in Ægyptum; ſed poſtquàm iter arripuit: *Apparuit ei Dominus & ait: ne deſcendas in Ægyptum, ſed quieſce in terra, quam dixero tibi.* Genes: 26. Cur ergo DDUS Optimus Maximus noluit Iſaac ire in Ægyptum, quo tamen ire voluit antea Patrem ejus Abraham, &

postea filium ejus Iacob? Respondet Theodoretus Quæst. 17 in Genes: *Per omnia DEUS demonstrat sapientiam & prudentiam suam. Etenim permisit Abraham ex Chananæa propter famem ire in Ægyptum, non quod eum illic non posset alere, sed ut Ægyptiis ostenderet viri pietatem & religionem, eosq; provocaret ad imitandam ejus virtutem. Filium autem ejus illuc ire prohibuit, eiq; rerum necessariarum copiam, in terra sterili suppeditavit, demonstrans utiq; quod hæc Patri largiri potuisset, quæ filio abundè præbuit. Cum enim omnes ejus Regionis incolæ in summa inopia, & rerum necessariarum penuriâ versarētur, & terra nihil produceret, multiplicem ille fructūm accepit.* Assentior rationi Theodoreti, sed præterea censeo ideo Deum optimum maximum prohibuisse: ne Isaac iret in Ægyptum, etiam stante fame in eo loco, in quo protunc degerat, ut ejus virtutem & obedientiam probaret: sicut enim probantur homines per hoc, quando cohibentur ab inchoanda actione, ita magis probantur, quando ab inchoata retrahuntur, nec tamen re-

tractioni pertinaciter resistunt.

Candide Magister Vitæ Apostolicæ, vidîsti apertè, quomodo DEUS retraxerit servum suum Isaac ab itinere arrepto, (imò & Patrem ipsius Abraham ab immolando eodem Isaac; ut supra innuimus) vidisti item, quàm obnixè & diligenter studuerit cohibere Christus Dominus Apostolos ab inchoata actione, videlicet à somno; vides quomodo primò, secundò, & tertiò, venerit ad suos discipulos causâ impediendi Somnolentiam eorum. Proinde & tu esto diligens in cohibendis actionibus tuorum Novitiorum, adeoq; non tantùm semel, sed etiam secundò & tertiò venias, & visites eos, quidquid autem minùs conveniens repereris, ab hujus inchoatione cohibeas & retardes. Multa novitii incipiunt propriô motu, multa attentant, plurima aggrediuntur: proinde ut pateat intentio, finis, & scopus eorum, insperatè retrahendi sunt à proposito suo, cohibendi ab inceptis, & facillimè virtus & fragilitas eorum elucescet. Non aliter plerumq; probandi sunt homines, ac probantur

 militares

militares ac martiales equi; porro illi ſic probantur: laxantur illis habenæ, datur campus integer ad currendum, & calcaria applicantur. Sed poſtquam currere, imò volare inceperint, in ipſo actuali curſu ac motu inſperatè cohibentur; qui ergo cohibiti immobiles, ſteterint, & ſeſſori obediêrint, illi probatiſſimi judicantur; qui autem reſtiterint, vel in partem oppoſitam recalcitraverint, tales repudiantur, & campo martiali inepti decernuntur. Homines ſæculares, ſunt & fiunt frequenter ſimiles jumentis, juxta illud Pſalmiſtæ: *homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*; proinde cùm iidem homines ad naturam jumentorum redeunt, more jumentorum probari, cohiberi, & exerceri poſſunt, maximè tunc, cùm aliquid proprio motu, arbitrio & diſpoſitione perficiendum, tractandumq; aggrediuntur.

§ VII.

§ VII.

In quo proponuntur alii modi, probandi Novitios, in profectu Obedientiæ.

Decimus quintus modus probandi Novitios, eſt; illos transferre de loco in locũ, ſeu de cella in cellã, & ſic continuò diſponere, ut non aſſveſcant nec afficiantur uni omninò loco, ſed ſint indifferentes ad quemcunq; Talî modò probavit Chriſtus Dominus Apoſtolos, quos nunquam in eodem loco ſtare permiſit, ſed de Civitate in civitatem, de vico in vicum peragrare mandavit, juxta illud: *Euntes autem prædicate*: ubi vides, quod non dixerit Chriſtus: *Sedentes prædicate* [quam vis hoc ſit proprium Doctoribus & Magiſtris] ſed potiùs dixit: *Euntes prædicate*, ut ſignificaret Apoſtolos, in continuo motu eſſe debere. Talî pariter modô videtur DEUS probaſſe S. Virum Iſaac, Genes: Cap. 26. Cùm enim Iſaac Vellet ire in Ægy-

in Ægyptum, prohibitus eſt illuc ire, & manſit in Geraris. Manendo itaq; in Geraris ſevit in terra illa, *& invenit in illo anno centuplum & benedixit ei Dominus, & locupletatus eſt homo; & ibat proficiens atq; ſuccreſcens, donec magnus vehementer effectus eſt; habuitq; poſſeſſiones ovium, & armentorum & familiæ plurimum.* Quid tandem factum? permanſitne perpetuò in hoc loco Iſaac? minimè: videntes enim incolæ loci illius, quod Iſaac magnus & locuples eſſet, inviderunt ei, & expulerunt eum de regione ſua, teſte ſcripturâ. *Ob hoc invidentes ei Paleſtini, omnes puteos, quos foderant ſervi Patris illius Abraham, illo tempore obſtruxerunt, implentes humô intantum, ut ipſe Abimelech diceret ad Iſaac: Recede à nobis, quoniam nobis potentior factus es valdè.* Non reſtitit voluntati Paleſtinorum, ac ipſius Regis Abimelech, Iſaac; abiit itaq; ad torrentem Geraræ, ut habitaret ibi, & rurſum fodit alios puteos, appellavitq; eos eîsdem nominibûs, quibûs ante Pater vocaverat. Diuturnanè fuit iſta habitatio Iſaac ad torrentem Geraræ? no

adeo

adeo diuturna; quam primùm enim ibi locavit ſibi habitationem Iſaac, tam primum factum eſt jurgium paſtorum Geraræ adverſus paſtores Iſaac, dicentium: *noſtra eſt aqua*; quamobrem nomen putei ex eo, quod acciderat, vocavit calumniam, Non contentus itaq; hoc loco Iſaac itèrum juſſit fodi alium puteum, ſed nec illum pacificè tenere potuit teſte ſcripturâ. *Foderunt quoq; & alium, & pro illo quoq; rixati ſunt, appellavitq; eum, inimicitias*: Tandem profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt, itaq; vocavit nomen ejus, *latitudo:* dicens, *nunc dilatavit nos Dominus & fecit creſcere ſuper terram.* Neq; tamen adhuc manſit continuo in hoc loco Iſaac, ſed aſcendit in Berſabee, ubi apparuit ei Dominus in ipſa nocte, dicens: *Ego ſum DEUS tuus Abraham Patris tui: quia ego tecum ſum, benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum, propter ſervum meum Abraham.*

Quod permiſit fieri DEUS cum Iſaac, & Chriſtus Dominus cum Apoſtolis; ut de loco in locum transferri

deberent;

deberent. Hoc cum aliqua proportione faciendûm est cum novitiis, & curandum, ut uni non affigantur loco, sed quantùm statuta ordinis concedunt, ut etiam mutatione locorum, & cellarum probentur; multò magis id servandum cum illis, qui jam vitam religiosam actualiter professi sunt. In hoc tantùm servanda differentia, quòd Isaac per invidiam Palestinorum ipsiusq; Regis Abimelech, ac propter jurgia pastorum transferri deberet de loco in locum; Novitii autem, ac vitæ religiosæ exacti Professores, non ex invidia sed ex charitate superioribus ingenita, ac debita, transferri debeant. Sicut enim aqua dum in uno loco quiescit, citò sordescit, ita vir religiosus vel ad Religionẽ aspirans, si in uno loco contrahat domicilium, tepescit, corrumpitur, & penitus deficit; contrahit enim notitiam cum personis prohibitis, ex notitia contracta nascuntur conversationes; ex conversationibus scandala, ex scandalis diffamatio, ex diffamatione sequitur publica prostitutio Personæ. Fugiendo hoc periculum benè ordinatæ Religones, quôli-

quôlibet annô ejusmodi mutationem locorum aſſignant, & quantum exinde fructum percipiant, patet ex profectu & intaminata obſervantia illarum. Ubi verò ejusmodi non obſervatur mutatio, videmus plerumq; profectum religioſum non adeo floridum apparere, ſed potiùs ſcandala frequentia evenire.

Decimus ſextus modus probandi Novitios, eſt, permittere vel inducere ſuper illos aliquem gravem terrorem, interim tamen eos abſolutè non deſerere, ſed conſolari & aſſiſtere iiſdem, ne deficiant ingruente gravi terrore. Talî modô probavit Chriſtus Dominus Apoſtolos Matth: Cap: 8. Ubi cum aſcenderet naviculam cum Diſcipulis ſuis, in eadem Navicula obdormivit, & interim ſuper mare permiſit grandem ventum. *Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita; ut navicula operiretur fluctibûs, ipſe verò dormiebat*; cum autem motus maris non ceſſaret, extimuerunt ac perterrefacti ſunt Apoſtoli, & côâcti ſunt excitare Chriſtum Dominum, ut eos ſalvaret. *Et acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt*

eum

eum dicentes: Domine, salva nos perimus! Et dicit illis JESUS. Quid timidi estis modicæ fidei? tunc surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Quæ fuit necessitas Christo Domino, ut ascendens in naviculam obdormiret, obdormiendo quiesceret, & interim succesit motus maris, & tempestas gravissima? inter alia ergo fuit necessitas hæc; ut per insperatam tempestatem motumq; maris subitaneum, terrorem Apostolis incuteret, & hac incussione terroris fidem Apostolorum probaret, quantùm credant? quantùm sint constantes? & utrum credant, quòd præsente Christo etiam dormiente, nihil contra eos prævalere possit. Vix ergo in præfatos Apostolos terror ille cecidit, apparuit statim adhuc infirma fides eorum, unde & increpati sunt â Christo Domino: *Quid timidi estis modicæ fidei?* ne tamen totaliter deficerent, sedavit Christus Dominus omnes terrores. *Imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.*

Similî quadam ratione procedendum est Magistro cum suis Novitiis, permitten-

permittendus eſt in illos plerumq; ti-
mor, danda occaſio grandis terroris ve
periculi, & ex hoc ipſo apparebit,
quantùm ſint fortes in propoſito? quan-
tum profecerint in vocatione, ac fer-
vore ſpiritûs?

Geneſis 23. Cum Iacob Patriarcha perficeret ſuum iter, quod cæperat, fuerant ei obviam Angeli Dei: quos cum vidiſſet ait: *Caſtra Dei ſunt hæc, & appellavit nomen loci illus manahim, id eſt, Caſtra:* Poſt hæc idem Iacob miſit nuntios ad fratrem ſuum Eſau, ut inveniret gratiam in conſpectu ejus, & ut illum ſibi olim iratum ac offenſum modò reconciliaret. Reverſiq; ſunt nuntii ad Iacob, dicentes: *Venimus ad Eſau fratrem tuum, & ecce properat in occurſum tuum cum quadringentis viris.* Qualem ſe (precor) adhanc relationem nuntiorum ſuorum exhibuit Iacob? ecce valdè exterritus eſt, & perturbatus, ut colligi poteſt ex ſacra ſcriptura dicente. *Timuit Iacob valdè & perterritus, diviſit populum, qui ſecum erat, greges quoq; & oves, & boves & camelos, in duas turmas, dicens: ſi venerit Eſau ad unam*

turmam

turmam & percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, salvabitur. Dixitq; Iacob; DEUS Patris mei Abraham, & DEUS Patris mei Isaac, Domine qui dixisti mihi: revertere in terram tuam, & in locum nativitatis tuæ, & benefaciam tibi: minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quam explevisti servo tuo. &c erue me de manu fratris mei Esau, quia valdè eum timeo, ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis: &c.

Hic jam quærendum restat, quòd cum Iacob non propriâ voluntate, sed ex mandato Dei, rediret in terram ac in locum nativitatis suæ, quare ergo DEUS Optimus maximus permisit in Iacob tam gravem & inopinatum timorem? & multæ hujus ipsius possint dari rationes, quibûs omissîs censeo hoc totum; ideo Deum Optimum fecisse, ut Iacob fidem & fortitudinem probaret: cum enim Iacob esset in actuali, itinere, misit illi DEUS Angelos obvios & post illorum occursum statim permisit timorem in Iacob, ut nimirũ appareret, utrum Iacob crederet promissis.

Dei

Dei, utrum recordaretur visionis Angelicæ, utrum fuerit constans & certus, quòd ipsi nihil possit nocere, ulla res creata, sine Deo ejusq; permissione. Licet autem DEUS ad probandam fidem & constantiam Jacob tantum terrorem in illum permiserit, tamen eum in hoc terrore perire non permisit, sed eum à manibus fratris Esau eripuit, & astitit illi in omnibus viis ejus, ut constat ex Genesi.

Talì etiam modô probavit DEUS populum Israëliticum: quando enim dabat Moysi decem præcepta, ita hoc totum negotium ordinavit, ut illud totus populus audiret, audiendo autem tremefactus est, ut constat ex scriptura dicente. *Cunctus autem populus videbat vocem & lampades, & sonitum buccinæ, montemq; fumantem, & perterriti ac pavore confusi steterunt procul, dicentes Moysi. Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne moriamur.* Porro hoc fine ita ordinarit DEUS, ut cunctus populus audiret vocem ejus, & lampades, & buccinam montemq; fumantem videret, ut hîs omni-

bûs perterritus, probari possit, quid valeat, ut colligi potest ex subsequentibus verbis: cum enim totus populus incomparabiliter timeret, tunc ait Moyses ád populum: *Nolite timere: ut enim probet vos, venit Dominus; & ut terror illius esset in Vobis, & non peccaretis.*

§ VIII.

In quo proponuntur alii modi, probandi Novitios in profectu Obedientiæ.

Decimus 7mus modus seu industria probandi Novitios, est; permittere in eos, ut ab illis persecutionem vel aliquam, mortificationem patiantur; qui eis sunt vel proximè cognati, vel vicini, vel specialiter familiares. Talem probationem prædixit Apostolis Christus Dominus Matth: Cap. 10. *Tradet autem frater fratrem, & Pater, Filium, & insurgent filii in Parentes, & morte eos afficient; & eritis odiò omnibus hominibus &c.* Talî

&c. Talî etiam modô Gene: 31. probavit DEUS, Iacob Patriarcham, & filium ejus Ioſeph; hunc cum Pater ſuus Iacob præ cæteris amaret, & quodam tempore mitteret eum ad Fratres ſuos paſcentes gregem, ut videret ſi cuncta proſpera ſint, tam fratribus illius quàm pecoribus? tunc fratres quàm primum vidiſſent eum à longè, cogitaverunt illum occidere, & mutuò loquebantur: *Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum, & mittamus in ciſternam veterem, dicemusq; fera peſſima devoravit eum, & tunc apparebit quid illi proſunt ſomnia ſua.* Sed cum hoc facinus Ruben unus ex fratribus ejus negaret, miſerunt eum in ciſternam veterem quæ non habebat aquam, & prætereuntibûs Madianitîs extrahentes eum de ciſterna, vendiderunt eum Iſmàëlitis triginta argenteis. Quis poterat eſſe propior Iacob Patriarchæ quam ejus filii? quis potuit eſſe vicinior, intimior & magis cohærens Joſepho, quàm ejus fratres? & tamen ex dictis immediatè conſtat, quomodo tam Iacob à filiis, quàm Ioſeph à fratribus probatus & mortificatus fuerit

quare pariter optima erit industria probandi Novitios, si ab his aliquando mortificentur, quos sibi putant maximè familiares & amicos; mortificentur inquam & probentur non ex invidiæ stimulo [ut fecerunt fratres cum Ioseph) sed ex intentione probandi spiritum eorum.

Decimus 8vus Modus seu industria probandi novitios, est præferre unum novitium alteri, concedendo v.g. plus uni, & minus alteri. Tali modô videtur probâsse Apostolos Christus Dominus, quando in conspectu omnium prætulit Petrum aliis Apostolis dicens, Matth: 16: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sangvis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est; & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni cælorum. Et quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Sic probavit Fratres suos Ioseph protunc Dominus Ægypti; cum enim

venirent

venirent ad eum fratres ſui, & tractaret eos liberaliter in convivio, tunc licet omnes ad unam eandemq; ſederent menſam, tamen fratri Benjamin major pars contigit, quàm aliis fratribus, ſiquidem pars data Benjamin, quinq; partibûs excedebat partes oblatas aliis fratribus, ut manifeſtè patet ex ſcriptura dicente. *Rurſumq, lotâ facie egreſſus, continuit ſe, & ait: Ponite panes: Quibûs appoſitîs ſeorſum Ioſeph, & ſeorſum fratribus &c: ſederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita ſua, & minimus juxta ætatem ſuam, & mirabantur nimis ſumptîs partibûs, quas ab eo acceperant. Majorq; pars venit Benjamin, ita, ut quinq, partibûs excederet.* Conſiderans hunc locum ſcripturæ Lyranus, & plures alii putant, id factum eſſe à Ioſeph, ut tentaret animos fratrum ſuorum exploraretq; num invideant ſibi, prælatum eſſe in convivio, ſicut inviderant ſibi quòd plus ipſîs diligeretur à Patre.

§ IX.

In quo proponuntur alii modi probandi Novitios in profectu Obedientiæ.

Decimus nonus modus seu industria probandi novitios, est, illos ordinare ad aliquod officium obeundum & exequendum, etiamsi illi incapaces esse sibi videantur, & quamvis se tanquam incapaces & ineptos ad præfatum officium judicaverint. Talî modô probavit Apostolos Christus Dominus, qui ad docendum instruendumq; totum orbem, indoctos, rudes, simplices, & quantum ex se incapaces vocavit Apostolos. Ne autem hac incapacitate & ruditate sua excusarent se ipsos, à suscipiendo munere Apostolatûs, præmonuit eos ipse Christus Dominus dicens. *Cùm autem tradent, vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed*

spiritus

ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Talî etiam modô próbavit DEUS Moyſen, cum enim Rex Ægypti Pharao, multîs ac innumeris oppreſſionibûs vexaret populum Iſràelįticum, decrevit DEUS Optimus maximus mittere Moyſen ad eliberandum populum ſuum. Auditâ hac ordinatione Divina Moyſes, eo inſtanti agnovit ſe tanti muneris incapacem, & dixit: *Quis ſum ego ut vadam ad Pharaonem & educam filios Iſaàél de Ægypto?* ad hanc excuſationem Moyſis reſpondit DEUS appromittendo ei aſſiſtentiam ſuam. *Ego ero tecum, & habebis ſignum quod miſerim te; cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum.* Acceptâ hac promiſſione & aliîs ſubſequentibûs, jam quodam modo ſuſceperat Moyſes impoſitam ſibi legationis functionem, ſed iterum ab eadem reſilire cæpit dicendo: *Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri & nudius tertius: & ex quo locutus es ad ſervum tuum impeditioris & tardioris lingvæ ſum:* Ad hæc reſpondit DEUS Moyſi: *Quis fecit os hominis?*

aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem & cæcum? Perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboq; quid loquaris. At ille (nempe Moyses) *Obsecro Domine* (inquit) *mitte quem missurus es.* Non contentus hac obsecratione DEUS Optimus Maximus, omnino injunxit Moysi, ut iter suum, functionemq; arriperet, maluitq; ei dare pro socio fratrem ejus Aaron, quàm eum liberare ab imposito sibi munere & onere, ut constat ex scripturæ contextu.

Quæ igitur erat in hoc, causa, quòd DEUS optimus maximus Moysen ab imposito sibi semel munere liberare noluerit, etiamsi Moyses toties se modestè excusaverit, & incapacitatem suam ad tantum munus præsentaverit? credo inter alias etiam hanc fuisse, ut DEUS frangeret proprium judicium Moysis de incapacitate sua, & ut tali modò probaret obedientiam & submissionem ipsius. Hoc totum faciendum incumbit Magistro cum suis novitiis; hi enim dum eis aliquid Magister injungit, frequenter dicunt, se ad id esse incapaces, se hoc

ſe hoc nunquam audiviſſe, didiçiſſe, nunquam ad praxim reduxiſſe: cæterùm penſatis circumſtantiis & adhibito discretionis moderamine, non ſunt audiendi, ſed omnino ſvaviter impellendi, ut exequantur, quod illis ſemel injunctum eſt, meliùsq; eſt aliquando adjungere illis aliquem ſocium ad munus exequendum (ſicut fecit DEUS cum Moyſe) quàm eos liberare ab injuncto obedientiæ exercitio: ſi enim illis ſemel excuſatio ſuccedat audebunt & iterum ſimiles excuſationes adferre, & ſic paulatim evacuabunt naturam, & meritum obedientiæ.

Hujus probationis documentum patet etiam in Ieremia Propheta, ut conſtat ex teſtimonio illius. *Et factum eſt verbum Domini ad me dicens: Priusquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva, Sanctificavi te & Prophetam in gentibus dedi te.* Quid ad hæc Ieremias reſpondit? audiamus eundem: *Et dixi A, a, a, Domine DEUS, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum!* Usq; ad ſtatum pueri rediit Ieremias quando ad magna negotia deſtinatus

erat;

erat; sed hoc non audivit DEUS, eundemq; Ieremiam quod semel destinavit, ire mandavit. *Et dixit Dominus ad me: noli dicere puer sum, quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis, & universa quæcunq; mandavero tibi, loquêris. Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus &c. &c.* Maluit ergo Deus esse cum Ieremia, maluit eum facere in Civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram (ut ibi testatur scriptura] quàm eum dispensare ab eo, quod illi semel injunxit, nimirum ut per hoç appareret Omnipotentia Imperantis, & humilitas obedientis & obedire obligati. Quando ergo & Magister volet probare suos novitios, tunc ut jam innui, injungat illis tale munus, ad quod sibi incapaces videntur; quod si hac incapacitate sua excusabunt se, tunc illis meliùs est dandum adjutorium ad præcepta exequenda, quàm ut suam voluntatem faciant. Si autem adjutorium suscipere recusaverint, & se pertinaciter incapaces remonstrare voluerint, tunc erit manife-

stum

ſtum ſignum inobedientiæ ac propriæ voluntatis.

Vigeſimus modus probandi novitios, eſt promittere ipſis aliquid indeterminato tempore, & promiſſionem præfatam non ſtatim, ſed tempore ſibi bene viſo implere. Talî modô in lege gratiæ probavit Chriſtus Dominus Apoſtolos, Diſcipulos ſuos, his enim multa dona & gratias promiſit, promiſſionem tamen ſuam non ſtatim ad effectum deduxit, ſed tunc quando ipſi placuit. Sic Matth: Cap. 5. promiſit eis mercedem copioſam in cælis dum inquit. *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Cæterùm hanc mercedem copioſam non ſtatim contulit, ſed poſt multos labores Apoſtolorum. Pariter Matth: Cap. 19. multa promiſit Apoſtolis Chriſtus Dominus, dum inquit: *Et omnis qui reliquerit Domum, vel fratres, aut ſorores, aut Patrem, aut matrem, aut, uxorem, aut filios, aut agros,*

propter

propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit: hanc tamen satis largam promissionem suam, non statim eô instanti, vel hebdomadâ, vel post mensem adimplevit Christus, sed post sufficientem probationem conversationis Apostolicæ. Plura de hoc videri possunt in multis S. Evangelii locis. Talî etiam modô DEUS Optimus maximus probavit Moysen, quando enim illum ordinabat cum legatione expedienda ad Regem Pharàónem, tunc eidem Moysi appromisit liberationem populi Isràëlitici: dum autem Moyses Abiret ad Pharàónẽ & ipsius nomine Dei requireret liberationem populi præfati, tunc DEUS non liberavit statim dictum populum, nec Pharàó Rex eundem in instanti dimisit, sed potius auxit oppressiones ipsius, siquidem post auditam legationem Moysis, præcepit Pharàó Præfectis operum & exactoribus populi, ut nequaquam ultra dent paleas populo ad coficiendos lateres, sicut priùs, sed ut ipsi vadant & colligant stipulas mensuramq; laterum, quam prius faciebant, omnino reddant. Huic præce-

præcepto Pharàónis exactiſſimè obedi-
êrunt Præfecti operum & Exactores,
detuleruntq; populo mentem Pharàó-
nis, ut irent & colligerent ſtipulas, ſi
alicubi poſſent. Diſperſusq; eſt popu-
lus in omnem terram Ægypti ad colli-
gendas paleas. Præfecti quoq; operum
inſtabant, dicentes: *complete opus ve-
ſtrum quotidie, ut priùs facere ſolebatis,
quando dabantur vobis paleæ.* Flagella-
tiq; ſunt, qui præerant operibus Filiorum
Iſràél, ab Exactoribus Pharàónis dicen-
tibus: *quare non implêſtis menſuram la-
terum, ſicut prius, nec heri, nec ho-
die?*

Videntes Filii Iſràél tantam op-
preſſionem ſuam, ſtatuerunt adire ipſum
Pharàónem, & ſupplicare, ut ipſis ali-
quod levamen concedat. Veneruntq;
Præpoſiti filiorum Iſràél, & vociferati
ſunt ad Pharàónem dicentes: *Cur ita
agis contra ſeruos tuos? Paleæ non dan-
tur nobis & lateres ſimiliter imperantur,
en famuli tui flagellis cædimur, & injuſtè
agitur contra populum tuum. Ad hæc*
reſpondit Pharàó: *Vacatis otio, & id-
circo dicitis: Eamus & ſacrificemus Do-*

mino

mino. Ite ergo & operamini, paleæ non dabuntur vobis, & reddetis consvetum numerum laterum. Cum igitur filii Isràël nullibi levamen, nullibi consolationem acciperent, occurrerunt Moysi & Aaron, qui stabant ex adverso egredientes à Pharàóne, & dixerunt ad eos: *Videat Dominus & judicet, quoniam fætere fecistis odorem nostrum coram Pharàóne, & servis ejus, & præbuistis ei gladium, ut occideret nos.*

Quid tunc precor agebatur in corde Moysis? quomodo ille protunc consternatus fuerat, quando ex una parte vidit gravissimam oppressinem filiorum Isràël, ex altera parte memor erat promissionis Divinæ, quâ ipsi promiserat liberare filios Isràël? & hanc promissionem promulgavit toti populo Moyses, nec tamen DEUS liberavit protunc filios Isràël. Dolebant tunc, quòd filii Isràël gravissimîs premerentur laboribûs & flagellîs! mirabatur inde & totus obstupescebat, quòd promissio Divina facta esset ad eum, & tamen non impleretur. Unde admirabundus exclamavit ad Dominum: *Domine cur afflixisti populum*

pulum istum, quare misisti me? ex eo enim, quòd ingressus sum ad Pharàónem, ut loquerer ex nomine tuo; afflixit populum tuum, & non liberâsti eum? ad primum enim mandatum tuum omnino debebat Pharàó dimittere populum tuum, modò autem non tantum non dimittit eundem, sed etiam magis opprimit.

Quoniam igitur certum est, quôd DEUS Optimus maximus mittendo Moysen ad Regem Ægypti promiserit eidem liberationem filiorum Isràél, quare ergo non liberavit eosdem, quando Moyses satisfecit ordinationi Divinæ, & proposuit puncta legationis suæ coram Rege Pharàóne. Non tantùm autem DEUS non liberavit filios Isràél protunc, sed etiam, permisit eosdem magis affligi, ac per hoc ipsum magis affligi & ipsum Moysen? Ratio hujus prima est: ut DEUS ostenderet omnipotentiam suam ac prodigia sua, ac ut demonstraret Ægyptiis quòd ille sit unus & solus DEUS. 2da: ideo distulit DEUS appromissam liberationem filiorum Isràél, ut per hanc dilationem tum

filios

filios Isràél, tum ipsum probaret Moysen, quanta esset illius fides dictis & promissis Dei. Credere enim promissis tunc, quando illa statim implentur, & ipso effectu confirmantur, est facillimum: credere autem iisdem promissis, quando illorum executio differtur, hoc rarum est: & hôc secundô modô probavit DEUS Moysen: non solùm enim hac vice distulit DEUS executionem promissionis suæ, sed etiam multis aliîs & repetitîs vicibûs; modò primùm autem tunc eam effectuavit, quando fuit voluntas ejus, & fides Moysis sufficienter probata est. Talî etiam modò procedat sibi Magister cum Novitiis: si petunt aliquid, promittat; si requirunt statim executionem promissionis eandem iterum atq; iterum differat, & per hanc dilationem apparebit patientia vel impatientia eorum,

§ X.

§ X.

In quo proponuntur alii modi, probandi novitios in profectu obedientiæ.

Vigeſimus primus modus ſeu induſtria probandi novitios, eſt; invertere ordinem officiorum, exercitiorum, & obſequiorum, ad ſingulos novitios ordinariè & alternatim ſpectantium. Quod ut in praxi fiat, ſciendum eſt, in qualibet planè Religione officia, exercitia, & obſequia diſtribuuntur per ſingulos novitios, alternatim & hebdomadatim, ſingulisq; aſſignatur, ut per hebdomadas, vel menſes, invigilent ſuis officiis & exercitiis: & ſic v. g. uni aſſignatur lectio ad menſam, alteri deportatio portionum ad menſam, alii excitatio omnium pro matutino, alteri aſſiſtentia ad miſſam, alii expurgatio utenſilium ad culinam ſpectantium &c: Suppoſitâ ergo hac diſtributione ſingulorum obſequiorum, ſingulis novitiis, illi

etam finguli invigilant fuis officiis. Ut autem meliùs probentur novitii, injungendum aliquando alicui ex illis, ut exequatur hoc officium, ad quod non eft deftinatus, fed aliquis alius; per hanc q; ipfam injunctionem fiet ordinis confveti everfio: fi ergo novitius, etiam illud officium libenter exequetur, ad quod non eft in hebdomada deftinatus, fignum erit bonæ indolis & obedientiæ; fi verò retractabit & excufabit fe pertinaciter, quòd ad illum præfatum officium non fpectet, fignum erit imperfectionis, & nondum fufficienter probati fpiritûs. Ad quem enim pertinebat, ordinem officiorum & obfequiorum diftribuere, ad eundem fpectat & præfatum ordinem, invertere & immutare. Novitii autem fi volunt fe exhibere obedientes ac fubmiffos, non tantùm legem fcriptam debent obfervare, eamq; proterviter defendere, fed ad omnem nutum fui Magiftri debent effe parati: non enim ex regeftro (ut dicitur) fed ex voluntate Magiftri, debent obire fua officia & exercitia.

Vigefimus fecundus modus probandi

bandi novitios, eſt, injungere alicui ex illis pœnitentiam vel mortificationem, aliquando levem, aliquando gravem, aliquando privatam, aliquando publicam, etiamſi ille novitius nihil abſolutè deliquerit contra Regulam, conſtitutiones, & uſitatum ordinem domeſticum. Cum quidam Monachus graviter in re quadam, cujus nullam culpam habebat, reprehenſus fuiſſet, & S. Climacus, ejus patrocinium ſuſcepiſſet: reſpodit ejus ſuperior, non me latet illum eſſe innocentem, & ab hac culpa immunem; cœterùm facti mei intentio fuit hæc, ut hac increpatione & mortificatione præberem illi materiam meriti. Sicut enim crudeliter agit Parens, quia panem ſubtrahit ori ſui infantis; ſic Prælatus qui ſubditis ſuis, quando capaces ſunt, reprehenſionibûs & aliîs mortificationis generibûs, ſubtrahit promerendi materiam. Qualiter itaq; proceſit ſibi ſupradictus ſuperior cum ſuo ſubdito, taliter ſibi poteſt procedere & Magiſter cum novitio; nempe poteſt illum ſeriò reprehendere in aliquo negotio, vel aliquam pœnitentiam injungere, quàmvis

Novitius nullam culpam contra tale negotium contraxerit; hujusq; reprehensionis aut pænæ assignatæ finem habeat, ut novitium probet, eiq; subministret materiam ulterioris meriti. Qui ergo novitius nondum erit perfectè, mortificatus statim cum Magistro suo disputabit, contendet, murmurabit, inquiretq; rationes quare? pro quo? ex qua causa? pro quali defectu vel delicto injungatur ei pænitentia? Qui verò erit perfectus, & verè humiliatus, tunc, etiamsi nihil deliquerit, & nullius peccati externi se conscium senserit, alacriter suscipiet pænitentiam assignatam, eam implebit sine mora, pro illa gratias aget, & offeret se ad alias & alias, majores & majores suscipiendas & implendas.

Quòd autem novitius nihil delinquens debeat alacriter suscipere pænitentiam à Magistro designatam, motiva sunt hæc. *imum*: peccata sunt duplicia, alia quò ad Deum, alia quò ad nos; seu alia interna, alia externa. Peccata interna sunt, quæ intra nos committimus, de illisq; solus DEUS

scit,

ſcit, vel confeſſarius. Externa ſunt, quæ ad extra fiunt, de illisq; multi homines, vel familiares, vel ſuperiores ſciunt. Licèt ergo novitius nullius peccati externi ſit conſcius, & nullum tale commiſerit, quod prodeat ad extra, vel de quo ſciat Magiſter vel aliquis alius, tamen ſine dubio eſt conſcius multorum peccatorum ſuorum internorum quare dum ipſi aſſignatur pænitentia, licèt nullum ad extra delictum commiſerit, tunc illam pænitentiam ſuſcipiat, offeratq; eam pro peccatis ſuis internis coram Deo. Deinde licèt hodie vel heri nullius peccati externi ſit conſcius novitius, tamen antea multa talia peccata externa commiſit, proinde ſe humiliet coram Deo, agnoſcat ſe peccatorem, agatq; pænitentiam pro præteritis peccatis ſuis externis. 2*dum motivum.* Chriſtus Dominus nullum abſolutè peccatum commiſit, in nullo deliquit, imò abſolutè erat impeccabilis; & tamen tot pænas, cruciatus, tormenta, flagella, opprobria, contemptus, & tandem mortem ipſam pro peccatis alienis ſuſtinuit: quid ergo mirum erit,

si novitius nihil ad interim delinquens, sustineat pœnitentiam à Magistro suo designatam? *3tium motivum* Beatissima Virgo MARIA Verbi Incarnati Mater Pretiosissima, immunis fuit ab omni labe etiam veniali, nihilominus Christo Domino Filio suo, tempore Passionis efficacissimè compassa, omnes dolores & tormenta cum ipso affectivè sustinuit, quis igitur ex novitiis, imò ex omnibus Christianis itá, frigidus erit, ut cum hac Matre pati nolit, etiamsi ad extra & coram hominibus nihil delinquat. *4tum:* Omnes sancti Apostoli ac reliqui innumeri Martyres, quid contra Tyrannos, quid contra Imperatores illos antiquos, & Præsides eorum sive Præfectos peccarunt? & tàmen crudelissimis ignominiosissimis ac acerbissimis suppliciis destinati fuerunt. Quando ergo alicui novitio assignabitur pænitentia, sine prævio illius peccato, tunc respiciat hos omnes & seipsum excitet, ad subeundam pænitentiam *5tum:* Tempus novitiatûs, totaq; vita Religiosa est tempus pænitentiæ, quare dū illa imponitur, est omnino acceptanda,
etiamsi

etiamſi in nullo deliquerimus; ſic enim & Magiſtrum noſtrum conſolabimur, & majus meritum habebimus.

§ XI.

In quo proponuntur alii modi, probandi novitios, in profectu obedientiæ.

Vigeſimus tertius modus probandi novitios, eſt, alicui ex illis injungere aliquod grave onus, vel exercitium virtutis; ab impoſitione autem ſimilis oneris reliquos novitios præſcindere, vel in aliud tempus tacitè differre. Et taliter Chriſtus Dominus probavit Petrum Apoſtolum Ioann. 21. Cap. ubi Petro prædixit, quâ morte erat moriturus, & clarificaturus Deum, ſed quia hoc ipſum non prædixit Ioanni, qui recubuit ſuper pectus JESU in cæna Domini, ideo Petrus ſtatim cæpit inveſtigare, quid futurum eſſet cum Ioanne? an ille etiam taliter moriturus eſſet pro Deo, ſicut & Petrus. *Hunc*

ergo cum vidisset Petrus, dicit JESU: Domine hic autem quid? Dicit ei JESUS: sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Talî modô procedendum est cum novitiis: imponendum (ut jam dixi) aliquod grave onus alicui ex illis, & hoc ipsum alteri non imponere: ille qui impositum sibi soli onus audiet, statim se injuriatum, & gravatum reputabit, & apprehensione hujus gravaminis prætensi vel murmurabit, vel de aliis interrogabit, quid cum illis faciat Magister? vel quare etiam illis hoc onus non imponat? Quàm primū autē in has quæstiones prorumpet præfatus novitius, statim ex eo signum erit, quid in ipso lateat? quo spiritu præditus sit? Qui autem tacebit & impositum sibi, onus suscipiet, non respiciendo alios nec illis invidendo, de hoc signum erit, quod sit perfectior, & in spiritu fervidior. Qui ergo sibi soli impositum onus svaviter suscipit, ab illo est dispensandus, qui autem retractat, ille omnino est frangendus, ut hoc omnino adimpleat, quod ipsi injunctum est: protervus enim spiritus, nunquam efficaciùs

proba-

probari & convinci poteſt, quam dum adigitur ad id omnino exequendum, quod exequi retractat, ſi autem in aliquo, craſſa, dura, & inflexibilis ſit pertinacia, tunc ad hoc opus eſt prudentiâ Magiſtri, aliquando enim meliùs talibus conſulitur, ſi expediantur, quàm frangantur. Aliquando autem prodeſt illis multùm, ſi omnino frangantur, cum autem fracti fuerint, ipſi: reſipiſcent & errorem ſuum agnoſcent. Ad prudentiam ergo Magiſtri pertinebit qualiter cum his, qualiter cum aliis procedendum erit.

Vigeſimus quartus modus probandi novitios eſt, permittere vel præbere illis occaſionem, alicujus controverſiæ inter eoſdem ipſos novitios: quæ controverſia poſtquam inter illos orta fuerit: ſtatim in actu illius apparebit, ad quid unus quisq; ex illis propenſus fuerit? an ad iram, an ad rixas, an ad pertinaciam? an ad ſuperbiam? an ad diuturna odia, an ad vindictam, an ad humiliationem, an ad vilipenſionem ſui & contemptum? protractâ enim præfatâ controverſiâ etiam moderatâ,

hoc

hoc quisq; loquetur, quod intra fovebat. Magister autem hæc omnia à latere spectando, façilè de singulis feret judicium; & singulis proportionata adhibebit media, ut in spiritu proficiant.

Vigesimus quintus modus probandi novitios, est, permittere illis, ut proponant coram suo Magistro aliquas quæstiones & dubia, ab eodem Magistro resolvenda. Quas quæstiones & dubia postquam proposuerint, ex illis patebit, ad quid collimabunt: qui de reditu in mundum cogitabunt, mundana proponent, vel connexa cum mundanis, qui honorem prætendunt vel honorem sperant, de primatu dubia in medium proferent, qui erunt laxi, laxa promovebunt, qui spirituales, qui in bonis moribus compositi, ac in omni genere virtutum mortificati, & bene morigerati erunt, spiritualia investigabunt: qui scrupolosi, scrupulos suos & angustias ex illis provenientes aperient. Et Talî modô videtur probâsse Christus Dominus Apostolos Matth: 13, ubi permisit illis per quæstionem aliquid proponere: proposuerunt itaq; illam quæstionem,

Quis

Quis putas major est in Regno cælorum? Et ex hac ipſa quæſtione, patuit ambitio Apoſtolorum nondum perfectè humiliatorum.

Vigeſimus ſextus modus probandi novitios eſt, ut ipſe Magiſter proponat aliquas quæſtiones à novitiis reſolvendas, ex hacq; pariter reſolutione eorum, prodibit ſpiritus ipſorum; taliter enim quilibet quæſtionem Magiſtri reſolvet, qualiter de aliquo objecto ſentiet. Et taliter probâſſe videtur Apoſtolos Chriſtus Dominus, cùm eos interrogavit dicens: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? at illi dixerunt: alii Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii autem Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis JESUS, vos autem quem me eſſe dicitis? reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Ecce vides quàm bene ad quæſtionem Chriſti reſponderit Petrus, & quàm bene ſe ſe prodiderit, quidquid in illo latuerit; nimirum prodiit vera fides Divinitatis Chriſti. Si ergo & Magiſter novitiorum, proportionatas officio ſuo proponet ſuis diſcipulis

quæ-

quæstiones, eveniet plerumq; quod bene & accommodatè respondebunt, aliquando etiam malè; ex bona autem & mala responsione, habebit, quid in singulis laudare & corrigere debeat. Hunc modum probandi per quæstiones, & interrogationes ordinatas ad novitios, innuit Psalmista cùm inquit:
Psal. 138. *Proba me DEUS, & scito cor meum; interroga me, cognosce semitas meas.* Ubi adverte, quod simul juncta sit ista duo; *interroga & cognosce:* ut pateat, quòd ex interrogatione & subsequente responsione ad illam, sequatur cognitio semitarum, quas aliquis intendit, vel quibus incedit. Idem ipsum velle videtur aliô locô Psalmista, cùm inquit. *Oculi ejus in*
Psalmo 10. *pauperes respiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum, Dominus interrogat justum, & impium.* Ad quid precor Dominus interrogat justum & impium? ad quid palpebræ ejus interrogant filios hominum? nisi ut cognoscatur horum justitia & illorum iniquitas; unde ibi immediatè additur: *qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.*

§ XII.

§ XII.

In quo proponuntur alii modi probandi novitios, in profectu obedientiæ.

Vigesimus septimus modus probandi novitios est, permittere aliquem etiam extraneum in illos, qui eos tentet, affligat, & varis modîs mortificet. Cùm enim Magister per seipsum tentat probatq; novitios; contingit frequenter, quòd non possit facilè devenire, ad cognitionem perfectam, quid in uno quoq; lateat, & cujus spiritûs sit? cùm quilibet eorum caveat Magistrum suum, estq; circumspectus in omni occasione & circumstantia, ne à Magistro in aliquo defectu notetur; dum autem Magister ordinat & permittit aliquem, ut probet suos novitios, hunc ita sub ordinatum non adeo cavent, quia non sperant, nec sciunt eum habere facultatem probandi, adeoq; coram eo faciliùs ea aperiunt, quæ intrà sentiunt.

[Et

Et talî modô probavit Chriſtus Dominus omnes Apoſtolos: quocunq; enim converſi ſunt Apoſtoli, & ubicunq; comparuerunt, in omni loco ſemper habuerunt tales, à quibus affligebantur, mortificabantur, & variîs modîs vexabantur: ſic poſt Aſcenſionem Chriſti Domini comparuerunt primò in Ieruſalem, repletiq; ſpiritu Sancto loquebantur variîs lingvîs Magnalia Dei: hoc autem cùm viderent & audirent plurimi de variis nationibus, aliis quidem ſtupebant, alii autem Apoſtolos irridebant. Cùm autem Apoſtoli irriſionem hanc minimè curarent, ſed Reſurrectioni Chriſti Domini teſtimonium ubiq; darent, captivati ſunt à Magiſtratibus, poſiti multoties ſub cuſtodia, incarcerati, cæſi, & flagellati ac innumerîs aliîs injuriîs affecti. Legantur acta Apoſtolorum, revolvatur tota vita eorum, habebitur compertum, quòd nunquam fuerint, ab omni adverſario liberi, ſed in quacunq; civitate, oppido vel platea cæperunt prædicare verbum Dei, ſemper eo inſtanti, inventi ſunt hoſtes fidei, à quibus affligerentur & macerarentur. Talî

Talî modô probavit DEUS Optimus maximus, Virum, ſecundum cor ſuum, nempe Regem David; in quem permiſit primò Regem Saul, qui eum variîs modîs & inſidiîs continuîs perſequebatur, necem ejus moliebatur, per varia oppida, Civitates, villas, cum exercitu quærebat, ut eum tandem aliquando ſupprimeret, & tanquam capitalem hoſtem ſuum deleret, ac exſtingveret. Secundò permiſit etiam hoc: ut ei proprius filius ſuus, bellum indiceret, exercitum & arma contra illum ſumeret; totum populum & Regnum adversûs Patrem ſuum ita commoveret & exitaret, ut Rex David proprium Filium ſuum fugere, ac de Ieruſalem pedes cedere cogeretur. 3tiò permiſit etiam hoc, ut ei proprius ſubditus nempe Semei malediceret, ac multas calumnias improperaret, ut conſtat 2. Reg. 16. *Venit ergo Rex David uſq; Bahurim, & ecce egrediebatur inde vir de cognatione Domûs Saul, nomine Semei filius Gera, procedebatq; egrediens & maledicebat: mittebatq; lapides contra David, & contra univerſos ſervos*

Regis David, omnis autem populus & universi bellatores à dextro & à sinistro latere regis incedebant. Ita autem loquebatur Semei, cum malediceret Regi. Egredere, egredere vir sangvinum, vir Belila reddidit tibi Dominus universum, sangvinem Domûs Saul; quem invasisti Regnum pro eo, & dedit Dominus Regnum in manu Absalon filii tui: & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sangvinum es. Dixit autem Abisai. Filius Sarviæ Regi, quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam & amputabo caput ejus. Et ait Rex: Quid mihi & vobis est, filii Sarviæ? dimittite eum ut maledicat. Dominus enim præcepit ei ut malediceret David; & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit. Et ait Rex Abisai & universis servis suis; ecce filius meus, qui egressus est de utero meo quærit animam meam, quantò magis hic filius Iemini maledicet mihi: dimittite eum, ut maledicat, juxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodiernâ. Talî præterea modô probavit DEUS

virum

virum juſtum Job: nam primò dum quadam die filii & filiæ ejus comederent ac biberent vinum in domo fratris ſui primogeniti, inſtinctu ſathanæ irruerunt Sabæi & tulerunt omnia, & pueros percuſſerunt gladiô. 2dò ignis Dei cecidit è cælo, & oves puerosq; conſumpſit. 3tiò Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaſerunt camelos & tulerunt eos, nec non & pueros percuſſerunt gladiô. 4tò filiîs & filiabûs Job veſcentibûs & bibentibûs vinum in Domo fratris ſui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deſerti & concuſſit quatuor angulos domûs, quæ corruens, oppreſſit liberos Job, & mortui ſunt. Sed cum in his omnibus non peccaſſet Job, nec ſtultum aliquid contra Deum locutus eſſet, ſuſtineretq; patienter hanc probationem ſui ipſius, iterum ſathan ex pura permiſſione Divina exeruit omnes vires ſuas, *percuſſitq; Job ulcere peſſimo à planta pedis usq; ad verticem ejus, qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio.* Neq; hac probatione & afflictione contentus eſt ſathan, ſed præterea con-

tra Job concitavit uxorem ejus, ut eum tentaret & commoveret, contra Deum: *Dixit autem illi Uxor sua: adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere*, sed patientissimus Job sicut tentationem sathanæ, ita & uxoris suæ refutavit, dicens ad uxorem *quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus? in omnibus his non peccavit Job labiîs suîs.* Talî tandem modò probavit DEUS Danielem in quem permisit, Principes & Satrapas, qui eum coram Dario Rege accusârunt, tanquam prævaricatorem Decreti Regii; & contra eundem Danielem ita pertinaciter instigârunt; ut Rex cogeretur eum in lacum leonum mittere. Talî ad extremum modô, probati sunt omnes Sancti Martyres, ac in uniuersum omnes servi, & imitatores Christi Domini.

Præterea allata immediatè doctrina & industria probandi, confirmatur sequentî exemplô: In certo monasterio (ut refertur in libr. sen. P. P. §. 207) fuit quidam adolescens natione Græcus, qui nullâ abstinentiâ, nullâ multitudine laborum,

laborum, concupiſcentiam carnis extingvere potuit. Cùm igitur ad Patrem ſeu ſuperiorem Monaſterii hæc ipſius tantatio deferretur, tali eum ſtratagemate, ſeu induſtriâ à tentatione laberavit. Injunxit uni gravi Religioſo, ut eum variîs modîs vexaret, increparet, affligeret, mortificaret, & plurimîs moleſtiîs afficeret: his autem moleſtiîs, & vexationibûs ei inflictîs, ut adhuc eum coram ſuperiore tanquam delinquentem accuſaret, teſtesq; contra eum produceret. Dum igitur præfatus adoleſcens tot injuriîs & vexationibûs continuò afficeretur, cæpit flere, & illa teſtimonia contra ſe producta admirari; nulla igitur dies tranſiit, apud ipſum ſine lachrymîs. Sedebat igitur ſolitarius, doloris amaritudine undiq; repletus, & cum à nemine haberet conſolationem & auxilium, ad pedes Domini JESU proſtatus jacebat, breviter loquendo, in hac amaritudine dolorum per totum perſeveravit annum. Poſtea dum interrogaretur, utrum adhuc ſentiret illas cogitationes carnales? reſpondit. Ah vivere amplius quomodo

possim? ignoro: qualiter ergo de voluptate carnis cogitare possum? sic igitur per hanc artem & industriam Patris spiritualis, adolescens ille tantationes carnis superavit, & liber evasit. Eâdem arte, eâdem industriâ utatur Magister cum suis novitiis, videlicet quando non habet certitudinem de spiritu ipsorum, tunc sibi eligat aliquem virum gravem, eiq; injungat, ut præfatos novitios etiam nihil delinquentes vexet, affligat, mortificet, aliasq; varias molestias illis inferat, tandem eos accusèt, & si opus fuerit testes producat. Dum sic etiam innocentes vexabuntur novitii, facile patebit spiritûs natura & indoles eorum, præsertim illorum, qui veniunt ad Religionem in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Vigesimus octavus modus probandi novitios est, ordinare illos recreationis vel distractionis gratiâ in aliquem locum remotiorem â Monasterio vel collegio, ut ibi tamdiu maneant, quàm diu superiori placuerit. Talî modô probavit suum novitium Paulum B. Antonius Eremita, qui cùm eundem

Paulum

Paulum plenè qualiter in ſingulis agere & ſibi procedere deberet, inſtruxit: illi in vicino, hoc eſt, in tribus à ſe milliaribus cellam conſtituit, ibiq; eum exercere quæ didicerat juſſit, ipſe autem frequenter eum viſitans, gratulabatur ſibi, quando eum deprehendit in his, quæ ſibi tradita fuerant, tota intentione & omni ſolicitudine permanentem. Talî pariter modô probare ſolet ſuos novitios Sacerrima Societas JESU, quæ certô anni menſe, ſingulos novitios ternos in varia loca, Civitates, & oppida extra Collegia dimittit, ibiq; per aliquod tempus, commorari permittit. Et hujus Probationis multi frequenter eveniunt fructus: 1mus bonum exemplum hominibus ſæcularibus, quando enim novitii adhuc puberes & planè infantes, huc & illuc tranſeunt, & ſe ubiq; modeſtos, ſedatos, humiles, ſobrios & ex omni parte compoſitos oſtendunt, homines ſæculares, videntes in Tyronibus ejusmodi compoſitionem, admirantur, æſtimant, ac ædificantur. 2dus fructus eſt ipſis novitiis, qui enim ſunt cauti & religioſi, profectûs

avidi, hi quocunq, in decursu itineris veniunt, ex omnibus sibi occasionem meriti bonorumq; operum accipiunt, si verò alicubi calamitates, miserias, & pericula hujus mundi advertunt, per hoc ad compunctionem redeunt & ad meliorem cognitionem, quantum valeat mundi vanitas. 3tius fructus est ipsi Religioni; dum enim extra Collegium vel Conventum novitii remittuntur, ibiq; aliquo tempore commorantur, tunc qui sunt morigerati, sedati, ac bene educati, hi adhuc meliores redeunt, qui verò sunt laxi ac de mundo cogitant, hi redeunt laxiores, & ad mundum promptiores: sicut autem redeunt laxiores, ita citiùs se ipsos produnt, quid in ipsis latet ex hoc autem ipso habet Religio emolumentum quod possit cognoscere naturam & indolem eorum. Quoniam igitur ordinatio novitiorum ad aliquem locum remotiorem à Collegio vel conventu tot fructus afferat, ideo non erit incongruum, si aliquando hac intentione ordinentur aliquò, ut tali stratagemate probentur.

§ XIII.

§ XIII.

In quo proponuntur alii modi probandi Novitios in profectu Obedientiæ.

Vigesimus nonus modus probandi novitios est, proponere illis duo contraria,& dare optionem libertatemq; ad eligendum, quod voluerint: v.g. proponere illis bonum & malum, vel bonum majus, & minus, si elegerint bonum absolute, vel bonum majus, signum est bonæ indolis & veræ vocationis; si verô malum absolutè, vel minus bonum, signum est vel imperfectionis, vel insufficientis educationis, vel nutantis vocationis. Et talî modô probavit DEUS angelos in primo instanti creationis suæ, quos posuit inter bonum & malum, ut eligerent quod vellent; qui elegerunt bonum possederunt Regna cælestia, qui, elegerunt malum, & adhæserunt Lucipero, detrusi sunt in infernum. Talî præterea modô

probavit DEUS primos parentes nostros Adam & Evam: sed quia hi omisso bono elegerunt malum, ideo de Paradiso expulsi sunt. Talî modô probavit DEUS Regem David per Prophetam Gad 2. Regum Cap. 29. *Vade & loquere ad David. Hæc dicit Dominus; trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris; ex his ut faciam tibi. Cùmq; venisset Gad ad* David *nuntiavit ei dicens: aut septem annîs veniet tibi fames in terra tua: aut tribûs mensibûs fugies adversarios tuos, & illi te persequentur; aut certè tribûs diebûs erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera & vide, quem respondeam ei qui me misit, sermonem? Dixit autem David ad Gad; Coarctor nimis, sed melius est ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt) quàm in manus hominum.* Similî ratione probavit DEUS filium ejusdem David Salomonem 3. Regum Cap. 3. *Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte dicens; postula quod vis, ut dem tibi. & ait Salomon: dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum &c.*

Talî

Talî tandem modô probat DEUS omnem hominem, relinquendo ei libertatem ad bonum & malum ut eligat, quod velit, ut conſtat Eccleſiaſtici 15: ubi dicitur. *DEUS ab initio conſtituit hominem & reliquit eum in manu conſilii ſui, adjecit mandata & præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam ſervare. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam: ante hominem vita & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Ejusmodi probatio per propoſitionem duorum contrariorum habet ſuum fundamentum ex praxi etiam ipſius Chriſti Domini, hic enim Sanctæ Catharinæ Senenſi propter turpes calumnias contra ſe excogitatas, ſeſe affligenti, quodam tempore viſibiliter apparuit, una manu coronam auream gemmîs ornatam, alteram ex acutiſſimis ſpinis contextam portans, ut eligeret alterutram. Si auream appeteret, experiretur ſpineam poſt mortem; ſi ſpineam, aurea conſervabitur in altera vita. Sancta Catharina viſa hac propoſitione duarum coronarum ſpineã

elegit

elegit & capiti suo impressit. Similiter probavit Christus Dominus Sanctam Gertrudem, cui offerendo sanitatem vel morbum, concedebat, ut eligeret quòd vellet.

Simile quid fecit Edvardus Rex Angliæ cum sua Edburga trium annorum filia; nam volens illam probare, jussit ex una parte omnia vestimenta pretiosa ante illam poni. Ex altera evangelium Christi, Calicem, ut eligeret quod vallet? Jlla torvô oculô omnia vestimenta pretiosa aspexit, Evangelium autem & calicem libenter arripuit, illisq; magnam reverentiam exhibuit. Carolus V Galliarum Rex volens filii sui indolem probare ac explorare, in mensa collocari fecit coronam auream & sceptrum in una, gladium & galeam in altera parte; Filio alterutrum ad electionem proponens. Tum Filius Caroli, prudentia singulari annos pueriles excedente, ad gladium accurrit, galeamq; prensavit, causam rogatus, sapienter respondit: *Per hæc ad illa perveniri* Nicolaus Causinus 2da parte aulæ Sanctæ scribit, de Imperatore Anastasio,

quòd

quòd cùm hic vires ſuas deficientes adverteret, intendebat alicui ſuum Regnum reſignare, cùm autem non haberet hæredes, cogitabat ſuos tres nepotes ſubſtituere, & cum eſſet dubius qui deberet ſuccedere, dubium per ſortem reſolvere decrevit: juſſit itaq; apparare tres lectos, & uni Cæſaream coronam introrſum appendit, eundem fore Imperatorem, qui caſu eo ſe poneret. Vocatis nepotibus dedit optionem, ut quisque ex illis poſſet ſe ponere in lecto, quo vellet. Igitur primò, & ſecundò genitus nepos, poſuerunt ſe ad lectos ubi nulla fuerat corona: ſupererat tertius lectus quo ſe junior natu poni noluit, rogando ut poſſit apud alium quærere quietem; ut remaneret tertius lectus liber.

Simili quadam ratione magiſter poteſt probare novitios, proponendo illis aliqua duo contraria, v.g. commodum & incommodum, vigilantiam & ſomnum, orationem & quietem vel diſtractionem, abſtinentiam & refectionem, quidquid ergo ex duobus contrariis elegerint novitii, manifeſtum erit

indicium

indicium, ad quod unusquisq; ex illis promptus & inclinatus ſit?

Trigeſimus modus probandi novitios, eſt, ſubtrahere illis hoc, quòd eſt nobilius,, præſtantius, honorificentius, [& applicare id quod eſt ignobilius, vilius, & contemptibilius: v. g. ſubtrahere veſtes nobiliores, & dare ignobiliores; amovere portiones delicatiores, & applicare inſipidiores; cellam commodiorem recipere & incommodam vel minus lucidam aſſignare. Et ita DEUS probavit Heraclium Imperatorem, qui dum recuperatam à Perſis crucem aurô gemmîsq; ornatus portaret, & transferre conaretur in eum montem, quo eam Salvator tulerat, ſubitó ſubſiſtere coáctus eſt in porta, quæ ad Calvariæ montem ducebat. Quò enim magis progredi conabatur, eò magis retineri videbatur. Cumq; ea re & ipſe Heraclius & reliqui omnes obſtupeſcerent, tum Zacharias Ieroſolymorum Antiſtes: vide (inquit) Imperator ne iſto triumphali ornatu in cruce ferenda, parum JESU Chrſti paupertatem & humilitatem imiteris. Tum Here-

Heraclius abjectô amplissimô vestitu de tractîsq; calceîs, ac plebeio amictu indutus, reliquum viæ facile confecit, & in eodem calvariæ loco Crucem statuit, unde fuerat à Persis asportata, O quàm multi sunt qui ad imitationem Heraclii Imperatoris crucem Christi portare volunt, sed aurô gemmîsq; vel saltem splendidîs exactîs, & exquisitis vestibûs ornati; sed in ipso actu dum Crucem Christi ferunt & amplectuntur, subsistere coguntur, vel ipsi eandem abjiciunt, dicentes: quod tanto oneri non sufficiant: quomodo ergo illis succurrendum. Ecce ita, sicut Zacharias Ierosolymorum Antistes Heraclio Imperatori succurrit, nempe subtrahendæ illis splendidæ, exquisitæ, pomposæ, tumidæ vestes: jam autem viles; abjectæ & contemptibiles applicandæ, similiter deponenda illis præstantia ac nova calceamenta, antiqua vero & attrita concedenda; quæ omnia si gratè suscipient sicut suscepit Heraclius Imperator, evadent sufficientes ad portandam crucem, ascendentq; cum illa in montem perfectionis. Nec sit mirum alicui,

quòd

quòd dixerim etiam calceamenta nova vel exquisita novitiis amovenda esse, & per hanc amotionem eosdem novitios esse probandos; contingit enim, quòd homines sæculares, etiam in minutis rebus viros Religiosos observent, eisq; censuram appingant. Nobilis quidam deprædatus est quoddam monasterium in Gallia. Visum est Abbati totiq; Capitulo, unum de medio sui mittere ad Regem Galliæ. Designatus est igitur unus quidam juvenis monachus nobili de stirpe natus, eo prætextu & intuitu, quasi apud Regem utpote nobilis plus esset evicturus per promotionem suorum consangvineorum nobilium, quàm alii. Cum igiur admitteretur ad Regem dixit: Serenissime Rex nobilis hic & ille injustissimè Monasterium nostrum vexat, varia damna & injurias nobis inferendo, supplicat itaq; Majestati vestræ conventus noster quatenus propter Deum dignetur cohibere præfatum nobilem, simulq; eum cogere ad compensanda damna nobis illata, ipsum Rex intuendo & bene attendendo sæculares gestus, vestitumq;

Cæsario 14 c. 12.

Monachi

Monachi ſplendidum dixit: Domine, unde & quis es? Reſpondit ille ſum Filius certi nobilis de Gallia Reſpondit Rex: Bene quòd ſis nobilis, & neſcio quid ultra ſis? Adjecit ille, Monachus: verè Sereniſſime Rex omnia nobis ille nobilis eripuit, & planè nihil reliquit: Reſpondit Rex; verum eſt totum quod dicitis, & bene in calceamentis veſtris hoc ipſum apparet, ſi enim vobis ſaltem aliquid de cutibus reliquisſet calceamenta veſtra non eſſent ita anguſta & exquiſita. Quo ergo aliîs, eſtis nobiliores eò magis eſtote humiliores. In iſto Monacho ſplendidé ornato & jactante nobilitatem ſuam, obſervavit Rex Galliæ etiam calceamenta & de illis irriſit, arguitq; Monachum. Proinde ne ſimilibus cenſuris ſubjaceamus hominum ſæcularium, etiã in calceamentis probandi ſunt novitii, qui dum tempore probationis aſſveſcent inveterata & attrita portare, non curabunt in decurſu ulteriori exquiſitis uti.

§ XIV.

§ XIV.

In quo proponuntur alii modi, probandi Novitios in profectu Obedientiæ.

Trigesimus primus modus probandi novitios in profectu obedientiæ, est, illis multa, difficilia, gravia, ac etiam arduissima præcipere, mandare & imperare; nec tamen adferre rationes eorum, quæ imperata ac demandata fuerint. Hâc normâ probavit Apostolos Christus Dominus statim à prima vocatione eorum, quando enim illos vocavit, nullam rationem vocationis suæ, ut eum sequerentur, dedit: ut constat Matth 4. Cap. *Ambulans autem JESUS juxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, erant enim Piscatores, & ait illis: venite post me, & faciam vos fieri piscatores, & procedens inde vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem ejus*

in mari cum Zebedæo Patre eorum, reficientes retia sua & vocavit eos, illi autem relictîs retibûs & Patre, secuti sunt eum. Manifestum itaq; est, quòd in hac utraq; vocatione, non adhibuerit Christus rationem quare vocaverit, sed absolutè dixit: *venite post me*; per hunc autem absolutum vocandi modum, statim ab initio probavit obedientiam Apostolorum, Hoc ipsum fecit Christus Dominus in vocatione Matthæi teste scripturâ: *Et cùm transiret inde JESUS, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine; & ait illi: sequere me.* Ubi vides, quòd non dixerit sequere me, quia in telonio nihil lucraberis, quia animam perdes, quia jam satis peccatorum tuorum, sed absolutè sine ulla prævia vel subsequente ratione dixit: *sequere me*: præterea hoc ipsum fecit Christus Dominus in vocatione Sauli, nunc Pauli Apostoli; hic enim dum virtute Christi prostratus caderet in terram, & interrogaret JESUM cum tremore & stupore: *Domine quid me vis facere?* & responsum accepit. *Surge & ingredere Civitatem & ibi dicetur*

 tibi,

tibi, quid te oporteat facere? Ad quid precor suspendit responsionē suam JESUS, ad interrogationē Sauli, cùm jam illum efficaciter vocare statuerat; ad quid nullam rationem dedit suspensionis suæ, sed absolutè pronuntiavit: *ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere?* Ecce ideo hoc totum fecit, ut talî methodô statim in primo limine vocationis suæ probaret obedientiam Sauli. Similî modô, scilicet non adferendo ullam rationem Mandatorum suorum, probavit Apostolos Christus Dominus Matth: C. 8: ubi dicitur: *Videns autem JESUS turbas multas circum se, jussit Apostolos ire trans fretum.* Solum ergo scriptura commemorat, quòd jusserit Discipulos ire trans fretum, quare autem, & propter quam causam, vel rationem, nihil de hoc innuit. Tandem Matthæi Cap: 10. dat Christus Dominus Apostolis sequens præceptum: *Infirmos curate, mortuos suscitate, læprosos mundate, Dæmones ejicite &c:* Quid potest esse difficiliùs, quàm infirmos curare, mortuos suscitare, læprosos mundare Dæmones ejicere? & tamen Christus Dominus præcipiendo tot & tam diffi-

cilia munia, nullam immediatè subjunxit rationem, quare hæc omnia præciperet, sed absolutè dixit: *Infirmos curate, mortuos suscitate &c.* quis finis hujus absoluti imperii in rebus tam arduis? non alius, nisi hic, ut per subtractionem rationum, & causarum, probaret obedientiam Apostolorum, qui si ad primum nutum non obedivissent, sed rationes præceptorum investigassent, multùm sibi de perfectione obedientiæ detraxissent. Tali præterea modô probavit DEUS Abraham, cui mandavit offerre in holocaustum filium Unigenitum, dicendo: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis; atq; ibi offeres eum in holocaustum, super unum montium, quem monstravero tibi:* ubi vides, quod DEUS tantùm nudè præceperit Abrahamo immolationem filii unigeniti, hujus autem præcepti sui tam ardui, nullam adjecit rationem, ut constare potest legenti Caput 22. Genes: Similì modô potest probare suos Novitios Magister, absolutè ejs imperando aliqua munia etiam difficiliora & graviora, dicendo unicuiq;

absolutè: fac hoc, vel illud; item prohibendo absolutè, & non subjungendo quidquam: quare hoc, vel illud præcipiat aut prohibeat; Magister enim (imo quilibet Superior) gerit quodammodo Personam Legislatoris seu conditoris legum, quando Tyrones docet, quid sequi & fugere debeant. Certè conditores Legum absolutè imperant, absolutè statuunt, decernunt, præcipiunt, prohibent, nullam legum statutorumq; suorum adferentes rationem, ut patet inductione Canonum & Juris Civilis, unde illud crevit commune axioma: *Lex jubet, non disputat.*

Trigesimus secundus modus probandi Novitios est: proponere illis aliqua permodum ænigmatum, & demandare, ut exequantur, etiamsi rem propositam totaliter non intelligant. Tali modò probavit sapientiam Salomonis Regina Saba, ut constat 3. Re-
Matth: 5. gum C. 10. *Sed & Regina Saba auditâ fama Salomonis, in Nomine Domini venia tentare eum in ænigmatibus.* Simili modô potest probare ac tentare suos Magister, nempe proponendo illis aliqua ænigmata, qualia vg. videntur non

nullis esse ista: *Si occulus tuus scandalizat te, erue, eum, & projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gebennam ignis. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam & projice abs te, expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gebennam: Item: si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum in judicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & quicunq; te angariaverit mille passus vade cum illo & alia duo:* Jtem:*diligite inimicos vestros, & benefacite eis qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Jtem illud. *Qui invenit animam suam, perdit illam, & qui perdiderit animam suam propter me, invenit eam.* Hæc & alia proponendo novitiis, videntur multis esse ænigmata, quare si ad illa bene respondeant, & in singulis bene exerceant se, signum erit notabilis profectûs eorum. Si verò hæc vel similia non intelligant vel intelligere nolint, vel adimplere, signum *Matt: 10.*

erit debilîs & infirmi ſpiritûs. Venerunt quidam Fratres ad Abbatem Antonium (ut retuli parte prima) & petierunt ut illos doceret, quomodo ſalvari poſſint: quib9 reſpondit Antonius: ecce ſcripturas audîſtis, ſufficiat vobis. Illi reſponderunt; nos etiam & à te volumus aliquid audire. Tunc Antonius reſpondit dicens: audîſtis Dominum dicentem: *Si quis te percuſſerit in ſiniſtram maxillam præbe illi & alteram.* Tunc præfati Fratres reſponderunt: Hoc implere non poſſumus. Reſpondit Antonius: Si ergo alteram præbere non poteſtis, Saltem in una percuſſi, ferte patienter. Reſponderunt illi: nec hoc poſſumus. Dixit eis ſenex: Si nec hoc poteſtis, vultisne percutere magis, quàm percuti? Reſponderunt illi: nec hoc volumus. Tunc Antonius reſpondit illis, ſi nec hoc, nec illud poteſtis, quid faciam vobis? Ecce patet quam egregie Antonius Abbas probavit præfatos fratres proponendo eis doctrinam talem, quæ mundi ſectatoribus videtur eſſe, tanquam aliquod inauditum ænigma. Tales ergo doctrinæ frequenter incul-

inculcandæ ſunt novitiis, & facilè probabitur, quid in ipſis ferveat.

§ XV.

Proponuntur adhuc alii modi probandi novitios in profectu obedientiæ.

Trigeſimus tertius modus probandi novitios eſt, illis ſecundùm exigentiam & circumſtantias temporis, exhibere gratias, favores, & benevolentiam; tandem illos inſperatè quaſi derelinquere, & negligere. Tali modô probavit DEUS Ezechiam Regem, cui primò multas gratias, beneficia, & favores præſtitit teſte ſcripturâ. *Salvavitq; Dominus Ezechiam, & habitatores Ierusalem, de manu Sennacherib Regis Aſſyriorum, & de manu omnium, & præſtitit ei quietem per circuitum. Multi etiam deferebant hoſtias & Sacrificia Domino in Ieruſalem, & munera Ezechiæ Regi Iuda, qui exaltatus eſt. Pſthac coram cunctis gentibus. In diebus ægrotavit Ezechias uſq; ad mortem & oravit Dominum, exaudivitq; eum, & dedit ei ſignum. &c.* 2di Paralip 32

Fuit autem Ezechias dives & inclitus valde, & thesauros sibi plurimos congregavit argenti & auri, & lapidis pretiosi, aromatum & armorum, universi generis & vasorum magni pretii. Apothecas quoq; frumenti vini, & olei, & præsepia omnium jumentorum, caulasq; pecorum, & urbes sex ædificavit sibi: habebat quippe greges ovium & armentorum innummerabiles, eò, quòd dedisset & Dominus substantiam multam nimis. &c. Hæc & tanta beneficia, postquàm DEUS præstitisset Ezehiæ Regi, tandem quid factum cum illo? Ecce ut eum probaret DEUS, dereliquit, eum, ut testatur scriptura dicens: *In omnibus operibus fecit prosperè quæ voluit* (Ezechias Rex) *attamen in legatione Principum Babylonis qui missi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram, dereliquit eum Dominus, ut tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde ejus.*

Hinc generalis infertur doctrina: licèt DEUS optimus Maximus tam enixè amaverit Ezechiam Regem, & tot, ac tanta beneficia præstiterit, tamen ulti-

matò

matò dereliquit eum, ut per hanc derelictionem probaretur, & ut nota fierent omnia, quæ erant in corde ejus; proinde & Magister novitiorum licèt illos amet, licet illis gratias, beneficia, & favorẽ specialem non nullis præstet, tamen captato tempore, potest illos derelinquere, tũ diminuendo gratias, quas antea præstiterat, tum aversum animum ad extra ostendendo, tũ puniendo, quibus antea pepercerat, tum arguendo, quos antea laudaverat, tum eos variîs modîs mortificando, quibus antea dissimulaverat. Quod dum faciet, nota fient omnia, quæcunq; erant, & latebant in corde novitiorum. Hujus Probationis documentum habetur etiam apud S. Matthæum Cap: 17, ubi constat, quòd postquam Christus Dominus dederit Apostolis potestatem ejiciendi Dæmonia, tandem eandem subtraxit pro eo tempore, quando ad Apostolos adductus est Lunaticus, ut eorum operâ curaretur à Dæmonio.

Trigesimus quartus modus probandi novitios est, ad aliquod temp9 proficisci ab illis, & interim concedere illis admini-

administrationem vel dispensationem aliquarum rerum, illorum statui proportionatarum. Post reditum autem, examinare illos, qualiter se in rebus sibi creditis gesserint. Taliter probavit Paterfamilias Evangelicus servos suos Matth: 25 ut constat ex verbis scripturæ: *Homo peregrè proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinq; talenta, alii autem duo, alii verò unum, anicuiq; secundùm propriam virtutem, & profectus est statim*; profectus est (in quam] ideo, ut servis suis libertatem utendi talentîs concederet, & per hunc usum talentorum, eosdem probaret. Quando ergo Paterfamilias Evangelicus discessit in vias suas, servi ad usus talentorũ suorum conversi sunt. *Abiît autem qui quinq; talenta occeperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinq;. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est & alia duo. Qui autem unum acceperat: abiens fodit in terram & abscondit pecuniam Domini sui*: Dum sic præfati servi utuntur suîs talentîs, ecce post multum temporis, venit Dominus servorum suorum, & posuit rationem

cum

cum eis. *Et accedens, qui quinq; talenta acceperat, obtulit alia quinq; talenta dicens: Domine quinq; talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi Dominus ejus: euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Accessit autem, & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine: duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. Ait Dominus ejus: euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Accedens autem, & qui unum talentum acceperat ait, Domine scio quia homo durus, es, metis ubî non seminâsti, & congregas, ubi non sparsisti, & timens abii, & abscondi talentum tuum in terra, ecce habes, quod tuum est. Respondens autem Dominus ejus, dixit illi: serve male & piger, sciebas, quia meto, ubi non semino, & congrego, ubi non sparsi; oportuit ergo te committere pecuniã meam nummulariis, & veniens ego recepissem utiq; quod meum est cum usura. Tollite itaq; ab eo talentum & date ei qui habet decem talenta &c: &*

&c: & inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.

Ex his constat, quàm egregiè homo iste probavit servos suos, quid in ipsis lateat; quare & Magister si vult probare suos novitios simili formâ cum illis procedat, discedat aliquo à novitiis, distribuat inter illos aliqua talenta, concedendo illis administrationem vel dispensationem aliquarum rerum, domesticarum sive ad victum, sive ad potum, sive ad aliquid aliud pertinentium; quàm primum ergo Magister discedet, tam primum novitii facti liberiores, accedent ad usum & praxim suæ administrationis, vel dispensationis securiùs, & non habendo præsentem Magistrum disponent omnia, sicut eis placebit. Dum illi sic actualiter disponunt, interim Magister veniat insperatè, examen dispensationis & administrationis faciat, & ex illo patebit, quantùm quisq; & quomodo operatus, & lucratus fuerit.

Trigesimus quintus modus probandi novitios est, illis prohibere aliquando,

quando, etiam talia opera, actiones, & exercitia, quæ ex ſe & ex natura ſua, bona, honeſta, & convenientia ſunt: qualia v.g. ſunt: orationes, Communiones, diſciplinæ, vigiliæ, & alia his ſimilia. Quando enim homini id, quod bonum eſt prohibetur, tunc ille ſtatim contrariari ſolet, & rationes pro ſuo facto opponere, dicendo: quòd nihil mali faciat, ſed tantùm hoc exequatur, quod ex ſe, & ex natura ſua bonum eſt. Porro qui verè obediens, & verè probatus eſt, hic etiamſi ipſi bonum prohibeatur, eo inſtanti ſubſiſtit, ac obedit ſuperiori; qui autem nondum perfectè obediens eſt, hic ſtatim ad ſuas rationes convertitur, & vult defendere voluntatem ſuam: defendere autem & facere voluntatem ſuam, tam novitio, quàm Religioſo non convenit, qui ſemel pro ſemper, ſubdidit ſe voluntati Superiorum. Quòd autem aliquando, etiam bona opera prohiberi impediri, retardari, differri vel abſolutè interdic poſſint; ratio prima eſt, quia etiam bona opera plerumq; fiunt ex propria voluntate; 2da, quia fiunt non debitâ

horâ

horâ & tempore. 3tia, quia fiunt non debitò modô & ordine: multi nim sunt, qui jejunare volunt, sed pro hoc licentiam nòn petunt; alii libenter orant, sed extra horam & tempus constitutum: alii libenter disciplinas & mortificationes faciunt, sed in his ipsis modum excedunt, seq; ipsos nimis debilitant: hoc ergo ne eveniat; potest Magister etiam bona opera novitiis prohibere, tum propter allatas immediatè rationes, tum propter probandum eorum spiritum: ut scilicet videat, si novitiii ita sint perfectè resignati in voluntatem Magistri sui, ut parati sint non tantùm à malis, sed etiam à bonis desistere ad primum mandatum, & omnem nutum ipsius.

§ XVI.

Proponuntur duo universales modi, probandorum novitiorum.

Modi probandi duplices cogitari possunt; alii universales, alii particulares.

Modi

Modi universales probandi sunt, ex quibus alii modi probandi fluunt, & inferuntur. Modi probandi particulares sunt, qui sub universalibus modis continentur, & ex illis tanquam ex fontibus deducuntur. Modi universales duo sunt, Primus modus universalis probandorum novitiorum est, per contraria, opposita, repugnantia, disconvenientia, seu displicentia naturæ, inclinationi, propensioni, & innato appetitui eorundem novitiorum. Ratio est; quia juxta axioma Philosophicum: *opposita, contra se posita, magis elucescunt:* ut ergo natura & indoles novitiorum magis elucescat, contraria ipsis applicanda sunt. Talî modô universalis omnium nostrûm Magister Christus Dominus, probavit suos novitios, nempè Apostolos; quidquid enim illis conrrarium displicens, & repugnans eorum naturæ, vel inclinationi sciebat, hoc eis semper applicabat, & in hoc continuò eosdem exercebat, ut constat ex toto Sancti Evangelii contextu, sed specialiter Matthæi 18. Cum enim Apostoli humanâ & naturalî ambitione ducti, ausi

fuerint

fuerint interrogare Christum Dominum: *Quis putas Major est in Regno cælorum?* tunc JESUS statim illis contrarium, nempe oppositam ambitioni humilitatem proposuit: *Et advocans JESUS parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cælorum. Quicunq; ergo humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in Regno Cælorum.* O pulchra probandorum Apostolorum industria! illi exaltari, præferri, & excellere aliis volebant, JESUS autem illis humilitatem opposuit, utpotè contrariam, & repugnantem ambitioni. Quando Apostoli interrogabant Christum Dominum: quis sit futurus major in Regno cælorum? poterat illis directè respondere, dicendo: quod ille erit major in Regno cælorum, qui plus pro Deo laboraverit, qui plura bona opera habuerit, qui plura merita & virtutes exercuerit, qui plùs, exactiùs, diligentiùs, efficaciùs, intensiùs Deo servierit, cæterùm nihil horum respondit, sed tantum humilitatem solam ejusq; exem-

plum

plum in medium propoſuit ut propen-ſos ad ambitionem, meliùs probaret Apoſtolos. Hoc ipſum conſtat Matthæi 20. Cap. ubi cum ad JESUM accederet mater filiorum Zebedæi, & peteret ab eo, ut filii ipſius ſederent in Regno Chriſti, unus ad dexteram, alter ad ſiniſtram? *Reſpondens autem JESUS dixit: Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? dicunt ei: poſſumus: ait illis JESUS. Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis: ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Et audientes decem, indignati ſunt, de duobus fratribus JESUS autem vocavit eos ad ſe, & ait: Scîtis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores ſunt, poteſtatem exercent inter eos. Non ita erit inter vos, ſed quicunq; voluerit inter vos major fieri, ſit veſter Miniſter; & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus: Sicut Filius Hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemptionem pro multis.* Sperabat puto Mater filiorum Zebedæi, magis accommodatam

suæ petitioni responsionem, sed quia honorem quærebat, & filios suos exaltari volebat, ideo audivit: *Nescitis quid petatis*: qui verò indignati sunt, eis per contrarium respondit Christus Dominus dicens: *quicunq; voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*

Quid magis potest esse contrarium homini quam abnegatio sui ipsius & totalis renuntiatio? tamen Christus Dominus per hanc abnegationem inclinationi hominis contrariissimam, probavit Apostolos Matthæi 16. ubi inquit: *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Super quæ verba scribens Sanctus Gregorius Papa Homil: 32 in Evan: sic discurrit: *Quia Dominus ac Redemptor noster, novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo. Vitæ etenim nostræ veteri in vitiis enutritæ, contrarietatem opposuit novitatis suæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo noverat, nisi sua retinere, aliena rapere, si posset; concupiscere, si non posset? sed*

cælestis

cælestis medicus, singulis quibusq; vitiis, obviantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida, calidis curantur; ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansvetudinem, elatis præciperet humilitatem. Certè cum se sequentibus nova mandata proponeret, dixit: Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus, ac si apertè dicat. Qui per vitam veterem aliena concupiscitis, per novæ conversationis studium, & vestra largimini. Optima itaq; probandi industria est per contraria, eorumq; applicationem, quæ non tantùm, ad probandum spiritum, sed etiam ad virtutes exercendas, perficiendas, & possidendas plurimùm juvat. Scribit Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus in Prato spirituali Cap. 187, quod Abbatem Joannem ex Cyzyco die quadam interrogaverit; *quomodo virtutem possidet quispiam? Respondit senior & ait: qui virtutem possidere voluerit, nisi prius oderit virtuti ex diametro contrariam malitiam, eam acquirere ac possi-*

dere non potest. Si igitur habere vis luctum, semper odio habeas risum. Si humilitatem habere desideras, superbiam semper execrare, si continens esse cupis, gastrimargiam odi, si pudicus, detestare luxuriam; si nudus, materiam fuge. Qui vult esse Misericors, avaritiam caveat. Qui eremum habitare desiderat civitatis frequentiam odio habeat. Qui cupit invenire quietem, fiduciam oderit. Qui peregrinus esse vult, apparentiam odio habeat. Qui iracundiam continere desiderat multorum consortia fugiat. Qui injurias oblivisci vult, maledicta detestetur. Qui sine distractione esse appetit, solitarius maneat; qui continere vult Linguam, obstruat aures, ne multa audiat. Qui Dei timorem habere cupit, corporalem oderit requiem, diligatq; afflictionem & angustiam. Et hoc totum inculcare debet Magister Novitio, ut scilicet unũ ex contrariis odio habeat: proinde si vult ex illo eradicare superbiam, opponat ipsi exercitium humilitatis; si vult exstirpare luxuriam, svadeat virtutem continentiæ; si vult eliminare avaritiam, plantet in ipso misericordiam: & sic per

alia

alia contraria procedendo, facilè cognoſcet ſpiritum ipſius, & virtutum incrementum brevi in illo fundabit.

§ XVII.

Proponitur ſecundus modus univerſalis probandorũ novitiorum.

Secundus modus univerſalis probandi Novitios & ſpiritum ipſorum eſt, per ſvavia, blanda, grata, & jucunda, atq; convenientia naturæ, inclinationi, propenſioni & innato appetitui eorundem. Sicut enim indoles hominum & natura, eluceſcit per contraria; ita per ſvavia, & convenientia inclinationi ſuæ, magis accenditur ad bonum, & proſecutionem ipſius. Talî modò probavit Chriſtus Dominus Apoſtolos in prima vocatione eorum, dicens ad illos: *venite poſt me faciam vos fieri piſcatores hominum*: Ubi bene notandum eſt, quod non dixerit Chriſtus Dominus: *faciam vos abnegare corpus & animam veſtram*,

vel, faciam vos deferere uxores, filios, & filias vestras; vel, permittam vos tradi in conciliis, & synagogis: vel, permittam vos flagellari crucifigi & occidi; sed potius dixit; *faciam vos fieri piscatores hominum;* piscatura enim erat res svavis, grata, & conveniens, inclinationi vocatorum recenter Apostolorum, illi enim in anteacta vita sua, assveti erant piscaturæ aquatilium, quare ut illos svaviter & blandè ad se perducat, eos ad piscaturam vocat, postquam autem eos per svavia ad se conduxerit, tum demum illis etiam contraria & aspera proponere cæpit. Deinde cum Matthæi 19 diceret Petrus ad JESUM, *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te quid ergo erit nobis.* tunc JESUS in omni svavitate, clementia, & bonitate respondit Petro & omnibus Apostolis: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius Hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut uxo-*

rem, aut filios aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam, possidebit. Quid ſvavius poteſt eſſe hòminibus, quàm pro una re centuplum accipere? quid convenientius eſſe poteſt naturæ humanæ elevatæ, quàm vitæ æternæ poſſeſſio; hanc itaq; relinquentibus omnia promiſit Chriſtus Apoſtolis, ut eos talî modô per ſvavia probaret, efficatiùs ad imitationem vitæ ſuæ excitaret. Cùm Chriſtus Dominus Matthæi *15.* præceptum de dilectione daret, tunc inter alia dixit: *vos Amici mei eſtis ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos ſervos; quia ſervus neſcit quid faciat Dominus ejus; vos autem dixi Amicos, quia omnia, quæcunq; audivi à Patre meo nota feci vobis.* Ad quid precor tam blandè procedit Chriſtus Dominus cum Apoſtolis; ad quid tam jucundè appellat eos nomine amicorum? ecce ideo, ut hac ſvavitate & clementia, magis eos convincat, & ad obſervantiam præceptorum ſuorum faciliùs alliciat.

Patet hoc ipſum etiam Matthæi 11 ubi Chriſtus Dominus inquit: *Venite*

ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meum leve. Hîs vel similibûs verbîs uti debet Magister in docendis, probandis, & instruendis Novitiis: plerumq; enim ingenua ingenia magis ducuntur ad bonum per suavia media, quàm per dura & aspera. Proinde convenientius esse censeo, ut Magister in educatione novitiorum prius suavia, deinde aspera adhibeat media. Et sic DEUS Optimus maximus processit sibi cum primo Parente nostro Adam, postquàm enim illum creavit, posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum: Ad majorem autem eidem homini comparandam suavitatem produxit *Dominus DEUS in eodem Paradiso omne lignum pulchrum visu & ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio Paradisi lignumq; scientiæ boni & mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita: nomen*
uni

uni Phiſon: ipſe eſt, qui circumit omnem terram Hevilath, ubi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum eſt, ibiq; invenitur bdellium, lapis onychinus. Et nomen fluvii ſecundi Gehon: ipſe eſt qui circumit omnem terram Æthyopiæ. Nomen verò fluminis Tigris, ipſe vadit contra Aſſirios. Fluvius autem quartus ipſe eſt Euphrates. In uno ergo Paradiſo tot inſtrumenta lætitiæ, adminicula voluptatis & media ſvavitatis fuêre, tum de arboribus, tum de ſructibus, tum de fluviis placidiſſimo alveo decurrentibus, quæ omnia DEUS optimus maximus comparaverat, ut Adamum adhuc Novitium & novum hominem mundi per præfata ſvavitatis & voluptatis principia doceret, probaret, & inſtrueret, & tandem ad ſe ſvaviter attraheret. Poſtquam verò Adam omnibûs iſtîs ſvavibûs mediîs uti neſciverit, tunc DEUS modo primum proceſſit ad media aſpera, moleſta, & rigidiora, ejiciendo eum de Paradiſo voluptatis, ut operaretur terram de qua ſumptus eſt. Eandem formam in probando, debet ſervare Magiſter Novitiorum, nimirũ primò utatur mediis

ſvavibûs,

ſva vibûs, tum deinde procedat ad aſpera & contraria. Plura de modîs probandi in profectu obedientiæ dabuntur Parte 3tia Vitæ Apoſtolicæ.

PUNCTUM II.

In quo proponitur norma probandi Novitios in profectu Paupertatis.

Expoſitîs modîs probandi Novitios in profectu obedientiæ, reſtat pariter exponere modos probandi in profectu paupertatis. Quod ut exequamur, Punctum præſens in aliquot Paragraphos dividemus: proinde ſit.

§ I.

In quo proponitur primus modus probandi novitios in profectu paupertatis.

Primus modus probandi Novitios in profectu paupertatis eſt, mittere ac ordina-

ordinare illos in aliquem locum remotúm ad aliquod negotium tractandum, v.g. ad Cathechizandum sine ulla subministratione & provisione sumptuum longo itineri & labori convenientium. Talî modô probavit Christus Dominus Apostolos in paupertate, ut constat Matth: Cap: 10. Ubi convocatîs duodecim Apostolîs, mittit, & ordinat eos, in universum orbem ad prædicandum Evangelium, sed simul cavet ut pro hoc itinere expediendo, neq; aurum, neq; argentum, neq; pecuniam, neq; peram, neque duas tunicas, neque calceamenta, neq; virgam accipiant. Postquam enim dixerit Christus Dominus locô citatô: *Euntes autem prædicate dicentes: Quia appropinquavit Regnum cælorum.* Deinde post pauca immediate subjungit. *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgam; dignus est enim operarius cibô suô.* Sapientissimè Magister Christe JESU, quomodo fieri poterit, ut Apostoli à te missi exeant in totum orbem, & tamen nihil

secum auri nihil argenti, nihil pecuniæ accipiant? quo sibi pretio victum, quo potum, quo refectionem corporis comparabunt? venient plerumq; inter homines tanquam inter lupos, qui eos potiùs malint devorare, quàm illis refectionem providere: venient ad tales civitates & oppida, à quibus lapidabuntur, percutientur, expellentur, & ultra fines exterminabuntur: ubi ergo refectionem quærent? quo famem & sitim extingvent? quando secum neq; aurum, neq; argentum, neq; pecuniam, neq; peram, neq; aliud simile habebunt? Venient tandem ad tales magistratus, qui eos carceribus intrudent, custodes, ne fugiant, adhibebunt, omnemq: viam qua Apostoli visitari & refici possint, præcludent: quis ergo Apostolos adjuvabit? quis illis aliquid providebit? quando erunt nudi, & omnî nervô destituti? si aurum, si argentum, si pecuniam haberent, possent ipsi custodes carcerum aurô conciliari, pecuniâ argentôq; placari, illisq; necessaria sui lucri gratiâ providere: quando autem nihil habebunt, à nemine ullum respectum vel provi-

dentiam

dentiam habebunt. Scivit hæc omnia Apoſtolis eventura Chriſtus Dominus, cæterum his non attentis, ſine omni proviſione ſumptuum, ſine omni pecunia, auro & argento miſit Apoſtolos in univerſum orbem, ut hac ſubtractione omnis ſumptûs & nervi ad viam requiſiti probaret Apoſtolos in paupertate, quomodo illam amarent, quomodo in illa ſe exerceri vellent, & quantum in illa proficerent.

Candide Magiſter vitæ Aopoſtolicæ, quando voles tuos novitios probare in paupertate & exercitio illius, ſic illos proba, ſicut probavit Apoſtolos Chriſtus Dominus: Quam primum ingreſſi fuerint Religionem, providenda ſunt illis omnia neceſſaria ad ſufficientiam, imò aliquando etiam ad abundantiam, poſtquam huic ſufficientiæ aſſveti fuerint, putabunt ſibi talem ſemper adfuturam, ne ergo hac opinione præoccupentur, tunc captato apto tempore, ſubitò mittendi ſunt in aliquo negotio ſpirituali expediendo, ad aliquod oblongius iter, pro hoc autem itinere

confi-

conficiendo, nihil ipsis de sumptu subministrandum, sed omnia subtrahenda, solaq; benedictio pro itinere impertienda. Qui ergo novitii hanc ordinationem suscipient, provisionemq; sumptuum pro itinere non exigent, signum erit, quod in paupertate profecerint, ejusq; amorem & exercitium sibi impresserint: qui verò de sumptu ac provisione itineris disputabunt, qui necessitates, pericula viarum, variosq; eventus ac occasiones afferent, de his signum erit, quòd nondum imbiberint paupertatis amorem, quod nondum confidant plenæ providentiæ Divinæ. Quia verò non in omnibus, Religionibus est consvetudo mittendi novitios prædicandi, vel alicujus profectûs spiritualîs capiendi gratiâ in remotiora loca, ideo probatio paupertatis eorum poterit fieri etiam domi, subtrahendo novitiis ea, quæ antea ordnariè dari solebant: hanc subtractionem postquam senserint, tunc imperfecti murmurabunt, perfecti vel saltem cauti silebunt; magister autem ex murmure & silentio, proportionata de singulis feret judicia.

§ II.

§ II.

In quo proponitur ſecundus modus probandi novitios in paupertate.

Secundus modus probandi novitios in paupertate eſt, denegare illis comitatum, pompam, aſſiſtentiam, pretioſa aulæa, exquiſita veſtimenta, & alia his ſimilia etiamſi alias opulentiſſimi ditiſſimi fuerint, & ex nobiliſſimis Parentibus ſint progeniti. Talî modô probavit DEUS Sanctum Patriarcham Jacob qui licèt fuerit progenitus ex Patre ditiſſimo, nobiliſſimo ac celeberrimo, tamen incomitatus, & pedes, ac inops miſſus eſt in Meſopotamiam ut conſtat Genes Cap:28. Conſiderans hoc factum Pererius inquit: *Mirandum fortaſſe cuipiam accidit: Sanctum virum, Jacob opulentiſſimi Patris filium, & ad ducendam uxorem miſſum ab eo in longinquam Regionem, non eſſe miſſum cum numeroſo famulorum ſervitio, honoratoq; amicorum*

comitatu

comitatu, atq; ingenti copia, tum rerum itineri commodè faciendo conducentium, tum etiam pretiosorum munerum, ad Laban socerum, aliosq; cognatos sibi demerendos. Æstimet lector, quanta cum opulentia & magnificentia servus Abrahæ eundem in locum missus sicut inde uxorē duceret ad Isaac. Sic enim supra Genes: 24 scriptum est. *Tulit servus Abrahæ decem camelos de grege Domini sui & abiit ex omnibus bonis ejus portans secum, profectusq; perrexit in mesopotamiam.* Hujus itaq; quæstionis dat rationem Pererius: *Voluit DEUS id fieri, quô Sancti Jacob in Deum fides, & pietas, & fiducia vehementius excitaretur, & augesceret, atq; illustrior apud omnes existeret, ut is humanîs opibus præsidiîsq; orbatus, ex Divinarum modo promissionum expectatione ac Divinæ munificentiæ fiducia, totus penderet. Et ut ille postea ex pauperrimo factus opulentissimus, maximas Deo gratias perpetuò ageret, cujus solius benignitate, ex tanta rerum omnium inopia, in tantas bonorum copias evasisset:*

Hoc igitur S. Patriarchæ Jacob factum

factum proponat frequenter novitiis quilibet Magister, & continuò inculcet, ut etiamsi ex nobilissimis, ditissimis, & celeberrimis Parentibus sint progeniti, tamen in Religione nullos prætendant comitatus, nullas assistentias, nullas pompas & apparentias, sed ita paupertatem colant, sicut eam coluit Sanctus Patriarcha Jacob, ita sint parati etiam pedester sine omni subsidio longum iter arripere, sicut illud arripuit S. Patriarcha Jacob. Paupertas enim & humilitas prædicti Patriarchæ euntis in Mesopotamiam, nec aliud secum ferentis nisi baculum, figura fuit humilitatis & paupertatis Christi Domini, ac crucis illius, quam pro nobis sustinuit: ut docet S. Doctor Augustinus: *Beatus Isaac quando filium suum mittebat in Mesopotamiam, DEI Patris typum præferebat: Jacob verò Christum Dominum præfigurabat. Isaac neglectis mulieribus Regionis quam ipse incolebat, misit filium suum Jacob ad Regionem longinquam, ut ibi uxorem acciperet: quia DEUS Pater missurus erat Unigenitum suum, qui repudiatâ Synagogâ, de gentibus*

ſibi Eccleſiam ſociaret. Hoc tunc in veritate completum eſt, quando Judæis Apoſtoli dixerunt; Vobis quidem oportebat loqui verbum Dei, ſed quia vos indignos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. De Beato Jacob non legimus; quod cùm equis aut camelis abiret, ſed tantùm legimus, quod baculum in manu portaverit. Sic enim ipſe cùm ſupplicaret Domino dixit: Minor ſum omnibus tribulationibûs tuîs, cum baculo meo tranſivi Iordanem iſtum, & ecce cum duabus turmis regredior. Jacob ergo ad accipiendam uxorem exhibuit baculum, & Chriſtus ad redimendam Eccleſiam, detulit Crucis lignum.

Quoniam igitur Jacob Patriarcha figuram Chriſti Domini ac Crucis ejus in ſe præferebat, ergo ſicut ipſum Chriſtum Dominum, ita & Patriarcham Jacob in humilitate & paupertate, imitari tenemur, conſequenter à Magiſtris ita poſſumus probari, ſicut fuit probatus à Deo Sanctus Patriarcha Jacob, non attendendo ad hoc, quali genere, Proſapiâ, Familiâ, Domô, & cognatione umpſimus originem. Horum enim attenden-

attendentia ſicut nihil juvat ad ſalutem, ita nihil prodeſt ad probationem, ſed eam impedit & de integro tollit. O quot Cæſares, Reges, Duces, Senatores, Heroés, Imperatrices ac Reginæ mundum deſeruerunt, & tamen priſtinam originem, cognationem, Familiam, Domum, minime attenderunt, ſed ſe totos & totas regimini ſuperiorum ſubjecerunt, rejectâq; omnî pompâ, omni probationi Magiſtrorum humilime obedierunt. Utinam & modò excitet & in nobis DEUS tantum fervorem humilitatis, ut omnium, quæ habuimus obliviſcamur, & quæ acquirenda nobis reſtant, continuò curemus & ad illa obtinenda tendamus.

§ II.

Inquo proponitur tertius modus probandi novitios in paupertate.

Tertius modus probandi novitios in paupertate eſt, v.g. Subtrahere illis aliquid ex rebus ad uſum quotidia-

num ſpectatibus tale, quod ſit minoris momenti, pretii, & æſtimationis, cæterùm ejusdem naturæ & conditionis, ut ſine illo commodè ſubſiſtere non poſſint, ſive quo ad victum & potum, ſive quo ad amictum. Sic DEUS probavit populum Jſràéliticum, cui in ſolitudinem exeunti & per illam tres dies percurrenti, ſubtraxit ſufficientiam Aquarum, ut conſtat ex ſcriptura dicente exodi 15. *Tulit autem Moyſes Jſràël de mari rubro, & egreſſi ſunt in deſertum Sur, ambulaveruntq; tribus diebus per ſolitudinem, & non invenerunt aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò, quòd eſſent amaræ: unde & congruum loco nomen impoſuit, vocans illum Mara, id eſt amaritudinem. Et murmuravit populus contra Moyſen dicens: quid bibemus? at ille clamavit ad Dominum: qui oſtendit ei lignum: quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt. Ibi conſtituit & præcepta atq; judicia & ibi tentavit eum dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum eſt coram eo feceris, & obedieris mandatis ejus, cuſtodierisq; omnia præcepta illius, cunctũ*

languo-

langvorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te, ego enim sum Dominus DEUS Sanator tuus.

Ubi notandum: non pretiosos liquores, non exacta vel opulenta fercula, sed solam puram ac simplicem aquam permisit DEUS subtrahi filiis Jsràél, vel eam non providit, ut potuerat providere, & tamen filii Jsràél murmurârunt; proinde etiamsi novitiis parva vel minuta aliqua subtrahentur, continget frequenter, quòd murmurabunt, & sic facilè patebit qualitas eorum & indoles Notandum 2do, sicut DEUS non providit filiis Jsràél aquas sapidas & dulces, ita subministravit amaras, ad magis probandum eorum spiritum, quid etiam dicturi essent, postquam gustaverint aquas amaritudinis: parî modô procedendum cum novitiis; non solum ipsis subtrahenda aliquando necessaria vel non providenda, sed etiam amara applicanda, ut per illorum applicationem, fiat palam, quod coquitur intra.

PUNCTUM III.

In quo proponitur norma probandi novitios in profectu castitatis.

Post expedita duo vota substantialia tandem de tertio brevissimè discurremus, nempe de castitate. Proinde sit.

§ I.

In quo proponuntur modi probandi novitios in profectu Castitatis.

Sicut Christus Dominus fuit ipsissima & perfectissima castitas, ita Discipulos non alios habere voluit, nisi castissimos. Modi autem, quibûs eos probavit, instruxit, & exercuit in castitate sunt sequentes; *Primus*: quàm primum eos vocavit, statim eos induxìt ad hoc, ut qui habebant uxores, eas relinquerent, eis renuntiarent, & nunquam amplius ad easdem redirent, vel redire

prætenderent, *2dus*: quod permiſerit eis etiam medias inter turbas (in quibus aderant etiam mulieres/) converſari, commorari, & degere, nihilominus ita eos cuſtodivit, ac ſuîs gratiîs extraordinariîs prævenit, ut nullus ex Apoſtolis quidquam caſtitati repugnans fecerit, vel deliberatè cogitaverit. *Tertius:* quod eis præcluſerit omnia incentiva Caſtitati repugnantia, qualia ſunt: divitiæ, commoditates, & alia his ſimilia: *Quartus*: quod eis adhibuerit omnia extinctiva libidinis, qualia ſunt, voluntaria paupertas, voluntaria obedientia, voluntaria caſtigatio corporis per longa itinera: quis enim majora, periculoſiora, & difficiliora itinera ſubivit, quàm Apoſtoli? ad quæ ſubeunda, inter alios fines etiam hoc fine induxit eos Chriſtus Dominus, ut per hoc ipſum Apoſtoli corpus fatigarent, macerarent, mortificarent, & penitus ſpiritui ſubjicerent, & ſic ad caſtitatẽ exercendam ſeſe diſponerent, in illaq; proficerent.

Candide Magiſter vitæ Apoſtolicæ hîs omnibûs modîs (exceptô 2do) probare potes & exercere tuos novitios, in pro-

fectu caſtitatis, & præterea ſequentes cautelas tibi adjungo *1ma:* ut poſtquam novitii ſe compoſuerint ad dormiendum, clavesq; in foribus ut debent reliquerint, tunc magiſter ex ſua cella in ſilentio exeat, hujus & illius cellam cautè ingrediatur, videatq; quomodo ſe ad dormiendum compoſuerint? quomodo in ſuo lecto jaceant? an cooperti an diſcooperti? an laxè & impudicè an honeſtè & caſtè quieſcant? an veſtimenta & alias res habeat Religioſe compoſitas? quod ſi aliquid contrarium repererit, ſtatim dormientem excitet, de mala compoſitione moneat, doceat, inſtruat, vel ſi incapacem viderit, hoc ipſum in aliud tempus referat. *2da:* poſtquam mane ſurrexerint novitii, videat pariter & cuſtodiat quomodo & quo habitu ſurrexerint? qualiter per curritoria incedant? an honeſtè & debitè veſtiti &c. &c, ex his enim ſignis externis apparet internus ſtatus hominis: *3tia cautela* probandi novitios in exercitio caſtitatis, eſt hæc ut Magiſter ſpectet à longe & conſideret diſcurſus, jocos, converſationes, familiaria collo-

ria colloquia novitiorum inter se ipsos: in his enim qualis quis fuerit? apparebit: qui erunt casti, pudici, innocentes, etiam castè, pudicè & innocenter loquentur, turpesq; vel laxos jocos aversabuntur: qui verò erunt laxi, dissoluti impudici, resoluti, aulici, mundani, etiam laxos, impudicos, mundanosq; jocos proponent, irridebunt alios, qui talia erubuerint. Magister itaq; hæc spectans, pudicos & innocentes confirmare debebit in suo proposito, laxos autem & impudicos refrænare, arguere & comprimere, quod si non emendaverint, superiori vel Capitulo deferre. *4ta cautela est*; ut Magister spectet inclinationem naturæ suorum Novitiorũ, ad quid magis propensa est: qualis enim est alicujus inclinatio, tales plerumq; sunt & effectus, ex effectibus autem facilè cognosci potest quid intra lateat juxta illud: *ex fructibus eorum cognoscetis eos*: Et hæc inclinatio naturæ non solum in præsenti materia, sed etiam in aliis omnibus spectanda erit. *5ta*: ut Magister novitiorum spectet, si novitii non venerint ad

novito-

novitiatū cum habitu accquisito & contracto tali, qui sit contrarius & repugnans castitati: cum habitu autem præfato veniunt omnes illi, qui in vita sæculari laxè, dissolutè, impudicè, & libidinose vixerunt. Si ergo præfatum habitum Magister in aliquo adverterit; multùm laborandum erit pro eradicatione illius, nullus enim habitus ad eradicandum est difficilior, quàm habitus carnis: *6ta est*: ut Magister spectet, & diligenter inquirat; qualibus tentationibûs aliquis novitius, magis impetatur & turbetur: cognita autem qualitate tentationum, facilè sciet statum Personæ & quomodo illius fragilitati succurrendum.

7ma ut advertat Magister qualiter se gerant novitii, si contingat eis aliquando mulieres alloqui, vel cum illis in via, aut quocunq; aliio loco concurrere. Testatur Cæsarius lib! 4 Cap: 62 quòd quidam Præpositus. Steinveldensis, exeundo de Monasterio in aliqua necessitate, non valde libenter accipiebat secum juniores Monachos, sciens hoc illis esse periculosum propter ten-

tationes Diabolicas. Die autem quadam dum unum juvenem in ſocium aſſumeret, & ambo iter perficerent, ſecum colloquentes, & ecce Virgo formoſa & eximiè pulchra, occurrit illis. Præpoſitus ex induſtria ac deliberatè equum ſuum detinuit, & illam virginem ſalutavit. Jlla autem ſubſiſtens, inclinato capite cum magna reverentia reſalutavit Præpoſitum. Dum autem paulisper ab illa virgine diſcederent, tunc Præpoſitus volens probare illum juvenem ſuum dixit: virgo hæc viſa eſt mihi valdè formoſa & egregia? & ille ſocius reſpondit: Credite mihi, Pater, & mihi hoc ipſum viſum eſt. Ulterius Præpoſitus: adjecit: hoc unicum illam deformat, quod ſit monocula, ſeu quod tantum unum oculum habeat: juvenis ille reſpondit: Credite mihi Pater, quod ambos oculos habeat, quia ego illam diligenter inſpexi & obſervavi. Tunc Præpoſitus hôc reſponsô commotus inquit: Et ego bene inſpiciam ac obſervabo dorſum tuum: debuiſti fuiſſe tantæ ſimplicitatis & manſvetudinis, ut abſolutè neſcires, utrum vir an fæmina fuerit?

Rever-

Reversus igitur ad Monasterium: dixit senioribus: Vos Patres aliquando mihi vitio ducitis, quod Fratres juniores nolim accipere mecum pro sociis, præmissâq; illis relatione de hoc, quod in via factum fuerat, illum Juvenem valde graviter arguit, & punivit. Qualî industriâ usus est hic Præpositus in probando suo socio, talî vel similî utantur omnes Magistri in probandis circa castitatem novitiis, & facile devenient in cognitionem ad quid propensi magis fuerint? Plura de Castitate alibi.

CAPUT III.

De Probatione Novitiorum in progressu ulteriori Novitiatûs.

In Capite præcedenti ostendimus quomodo? & in quibus probandi sint Novitii post susceptionem habitûs religiosi? nunc ostendendum restat, quomodo & in quibus sint probandi in progressu ulteriori novitiatûs? & quia supra jam ostendimus quomodo sint

pro-

probandi in votis substantialibus Religionis, ideo hic proponemus quomodo sint probandi in reliquis virtutib9 distinctis à votis; hocq; ordiemur à virtutibus Theologicis, tum deinde descendemus ad alias virtutes Morales. Ut autem de his omnibus distinctiùs agamus, Caput præsens in duo puncta dividemus.

PUNCTUM I.

De Probatione Novitiorum in Virtutibus Theologicis.

Virtutes Theologicæ sunt tres: Fides, spes, & Charitas. De his, singulîs Paragraphîs agemus. Itaq; sit,

§ I.

In quo proponuntur aliquot modi probandi novitios in Fide.

Primus modus probandi novitios in Fide est per exercitia Fidei; proponendo

nendo illis, aliqua ad credendum difficilia, & simul à longe attendendo, utrum dictis firmiter credant? Taliter probavit Apostolos Christus Dominus Matthæi 10 dicendo ad illos. *Quem dicunt homines esse Filium hominis? at illi dixerunt: Alìi Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Ieremiam, aut unum ex Prophetis; Dicit illis IESUS: vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi.* Taliter item probavit Christus Martham. Joannis 11, ad quam cum Christus Dominus invitatus Lazarô mortuô veniret, illa dixit ad JESUM; *Domine si fuisses hic, Frater meus non fuisset mortuus, sed & nunc scio quia quodcunq; poposceris à Deo, dabit tibi DEUS. Dicit ei JESUS: Resurget Frater tuus. Dicit ei Martha: scio quia resurget in resurrectione in novissimo die: Dixit ei JESUS. Ego sum Resurrectio & vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit vivet: & omnis, qui vivit & credit in me, non morietur in æternum?* & adjecit Christus Dominus: *Credis hoc* (Ecce probatio in fide) Ait illi (nempe Martha) *Utiq; Domine*

ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

Quando ergo & Magister instruet suos novitios, probet illos etiam in fide, probet per actus & exercitia fidei: unde quando eis proponet hæc & illa dogmata, non semel examinandi erunt, & interrogandi; Creditis hoc? si respondebunt se credere, idq; factis ostendent, non dubia spes erit profectùs eorum, si autem hæsitabunt & vacillabunt in credendo, tamdiu confirmandi erunt, quàmdiu plenè non crediderint. Porro probatio hæc in fide duplex potest esse, alia quo ad actus fidei communes omnibus fidelibus, alia quo ad actus fidei speciales viris Religiosis: novitii ergo non tantum probandi sunt quo ad actus fidei communes omnibus fidelibus sed etiam quo ad actus & articulos fidei, speciales viris Religiosis, nimirum utrũ credent quantæ sunt virtutis & efficaciæ vota substantialia Religionis? quantam felicitatem, pacem, gloriam, & fructum adferant? item utrum credant quanta illis DEUS, & Christus Dominus promiserit præmia? item utrũ credant quod

status

ſtatus religioſus ſit perfectior & tutior quam alii, item utrum credant quod aliter ſalvari non poſſint niſi patiantur? item utrum credant ſuperiorem ſuum eſſe conſtitutum in loco Dei, adeoq; utrum illum audiant tanquam Deum & in loco Dei conſtitutum; item probandi ſunt iidem novitii utrum doctrinis, inſtructionibus, exemplis, conferentiis exhortationibus Magiſtri, credant reverenter & ſubmiſſe? & quomodo hæc omnia ſuſcipiant? &c. &c.

Secundus modus probandi novitios in fide, eſt novitiis aliquo euntibus adjungere ſe incognitò vel aliquem alium ad hoc ſubordinare, ut illis ſe inſperatè adjungat; poſtquam autem illis adjunctus fuerit, nec tamen ab eis cognitus, tunc incipiat loqui de his in quibus à Magiſtro docti, præcauti, & inſtructi ſunt novitii: moveat item diſcurſum de his, quæ accidere ſolent, vel jam illis acciderunt in novitiatu: innuat præterea de auſteritatibus Religionis, de Regula, ſtatutisq; & Conſtitutionibus Ordinis: commemoret etiam aliquid de ipſo Magiſtro, qualis & quas dotes

habeat

habeat &c quantæ prudentiæ & experientiæ ſit. &c ad hos ſermones cum reſpondebunt Novitii; & ingerent ſe diſcurſui, facilè patebit utrum credant doctrinæ, educationi, & inſtructioni Magiſtri & quid de ipſo Magiſtro ſentiant? Hâc Methodô probavit Chriſtus Dominus illos duos Diſcipulos euntes in Caſtellum Emmaus ut conſtat Lucæ 24. *Duo ex Diſcipulis JESU ibant ipſa die in Caſtellum, quod erat in ſpatio ſexaginta ſtadiorum ab Ieruſalem, nomine Emmaus. Et ipſi loquebantur ad invicem, de his omnibus quæ acciderant. Et factum eſt, dum ſabularentur, & ſecum quærerent. Et ipſe JESUS appropinquans ibat cum illis: oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent, Et ait ad illos; qui ſunt hi, ſermones quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes: & reſpondens unus cui nomen Cleophas dixit ei. Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognoviſti quæ facta ſunt in illa, his diebus? Quibus ille dixit, quæ? & dixerunt de JESU Nazareno, qui fuit vir Propheta potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo. Quomodo*

eũ tradiderunt summi Sacerdotes & Principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum, nos autem sperabamus quia ipse redempturus esset Israel: & nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terrueruntnos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non invento corpore ejus venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita invenerunt, sicut Mulieres dixerunt, ipsum verò non invenerunt.

Ex hoc toto progressu Christi Domini, cum præfatis duobus Discipulis euntibus in Castellum Emmaus, colligi & inferri potest, quàm benè successerit Christo Domino modus probandi hic propositus. Vix enim Christus Dominus, appropinquans incognitè Discipulis, cum illisq; cæpit loqui de illis quæ facta sunt in Ierusalem, statim præfati Discipuli se ipsos prodiderunt, quid lateret in cordibus eorum, per suumq; discursum manifestè ostenderunt debilitatem fidei contra ea, quæ illis antea

dicta fuerant, dubitabantq; utrum ea eventura ſint, quæcunq; audierunt à Chriſto & Prophetis: quæ debilitas fidei & dubitatio conſtat ex illis verbis: *nos autem ſperabamus quia ipſe redempturus eſſet Iſrael, & nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt: ac ſi dicerent*: nos ſperabamus quod ipſe eſſet redempturus Iſrael, & ecce jam tertia dies præterit, & nihil de hac redemptione apparet. Si ergo ſimilî modô & Magiſter novitiorum velit probare ſuos novitios, ſine dubio facile aſſequetur, quid in illis lateat: quem enim abſolutè non noſcimus, nec cognoſcimus; quis ſit & quo nobiſcum ſine loquatur? hunc etiam non vitamus, ſed in omni ſecuritate coram eo ſenſum noſtrum & mentem aperimus, ex hac autem apertione ſenſus noſtri, ſtatim probatur, & experimentum deſumitur quid lateat in nobis? quod intendamus? quid cogitemus? & quo feramur.

Tertius modus probandi novitios in fide eſt; tunc dare doctrinam aliquam fidei certis & nonnullis novitiis, quando reliqui ſunt abſentes, poſtquam

autem absentes venerint & resciverint datam esse aliquam doctrinam à Magistro, tunc aliqui credent, aliqui non credent, & sic de singulis habebitur sufficiens probatio quid valeant? Talî modô probavit Thomam Christus Dominus in fide, Joan. 20. ubi dicitur. *Cum serò esset die illa, una sabbathorum, & fores essent clausæ, ubi erant Discipuli, congregati propter metum Iudæorum; venit JESUS & stetit in medio & dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gavisi sunt ergo Discipuli visô Dominô. Dixit ergo eis iterum. Pax vobis; sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset insufflavit, & dixit eis. Accipite spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis & quorum retinueritis retenta sunt. Thomas autem unus ex duodecim qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando erat JESUS. Dixerunt ergo illi alii Discipuli: vidimus Dominum. Jlle autem dixit eis: nisi videro in Manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.*

Hinc

Hinc patet quàm pulchrè enituit incredulitas Thomæ, ex eo quod absens fuerit quando Christus Dominus, de sua resurrectione testimonium dedit: proinde si tu absentib9 aliquib9 novitiis doctrinas & præcepta dabis, non omnes & præsertim absentes doctrinæ præceptisq; tuis credent, eo autem ipso quia non credent jam habebis sufficientem probationem & judicium de illis, qui enim non credit jam judicatus est. Licet autem plurima alia sed ante omnia, fides est necessaria novitiis: imo ut credant his quæ dicta sunt, per scripturam & Prophetas: 2do ut credant his quæ dicuntur à Magistro: nisi enim crediderint his quæ dicuntur, docentur, et referuntur à Magistro: nullatenus proficere & probationem sustinere poterunt; nemo enim illud libenter audit; quod non credit.

Quartus modus probandi novitios in fide est, ut Magister induat speciem dormientis, & ita se ad actiones novitiorum exhibeat, ac si esset dormiens. Tali modo probavit Apostolos Christus Dominus Matthæi 8.

Cap: cum enim ibidem Chriſtus Dominus dormiret, Apoſtoli pro tunc hæſitarunt in fide, timentesq; periculum maris, auſi ſunt ſuſcitare Chriſtum Dominum dormientem, ut conſtat ex ſequenti textu evangelii ubi dicitur. *Et aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum Diſcipuli ejus: Et ecce motus magnus factꝰ eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus: ipſe vero dormiebat. Et acceſſerunt ad eū Diſcipuli ejus & ſuſcitaverunt eum dicentes Domine ſalva nos perimus. Et dicit eis JESUS Quid timidi eſtis modicæ, fidei?* Sicut ergo dormiente Chriſto Domino, patuit infirma fides Apoſtolorum; ita dormiente Magiſtro, patebit infirma fides Novitiorum.

Quintus modus probandi novitios in fide, eſt dare illis poteſtatem aliquid agendi, operandi, & exercendi, tum deinde illam inſperatè ſubtrahere. Tali modo probavit Apoſtolos Chriſtus Dominus: illis enim dedit poteſtatem dæmonia ejiciendi, tandem cum quendam Lunaticum à Dæmone obſeſſum, deduceret ad Apoſtolos Pater

ſuus,

ſuus, tunc Apoſtoli non potuerunt eum curare, quod illis Chriſtus Dominus datam antea poteſtatem, ad interim ſubtraxit & limitavit, ut probaret fidem eorum. Conſtat hoc totum ex Matth: Cap: 17 ubi dicitur. *Et cum veniſſet ad turbas acceſſit ad eum, homo genibus provolutus ante eum dicens. Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur, nam ſæpe cadit in ignem, & crebro in aquam, & obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum, Reſpondens autem JESUS ait: ô generatio incredula & perverſa, quouſq; ero vobiscum? uſquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me, & increpavit illum JESUS, & exiit ab eo* Dæmonium: *& curatus eſt puer ex illa hora. Tunc acceſſerunt diſcipuli ad JESUM ſecretò, & dixerunt. Quare nos non potuimus ejicere illum: Dixit illis JESUS: propter incredulitatem veſtram, Amen quippe dico vobis, ſi habueritis, fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi, hinc, illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.*

§ II.

In quo proponuntur aliquot modi probandi novitios in virtute ſpei.

Primus modus probandi novitios in virtute ſpei, eſt infirmare, debilitare, & quodammodo deſtruere illorum ſpem, repræſentando illis auſteritates Religionis, incommoda vitæ religioſæ, rigorem ſuperiorum, gravitatem & frequentiam jejuniorum, vigilias nocturnas: his repræſentatis dicere huic & illi novitio: dubia eſt ſpes de tua perſeverantia, fortitudine, & conſtantia; tua enim complexio eſt debilis, natura fragilis, educatio in vita ſæculari fortè fuit delicatior, proinde vix ſperabile eſt, ut tu tanta onera auſteritates & munia, quæ in noſtra Religione omnino ſubeunda ſunt, ſuperare valeas. Reflectàris igitur tempeſtivè, & delibera cito quid facturus ſis. Ad hæc vel ſimilia ex intentione ſpiritus probandi propoſita.

ſita, ſi novitius reſpondebit ſe timere utrum prædicta omnia ſuperabit, tunc apparebit in eo defectus ſpei: Si autem dicet, qualeſcunq; rigores & auſteritates mihi contingent, has omnes ſpero in Domino me ſuperaturum, tunc in eo apparebit profectus ſpei, conſequenter in eadem ſpe magis confirmandus, & docendus ut utatur frequenter illis Pſalmiſtæ verbis: *In te Domine ſperavi non confundar in æternum;* vel illis: *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me*: vel illis: *Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Dum appropiant ſuper me nocentes ut edant* carnes meas: *Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt & ceciderunt. Si conſiſtant adverſum me caſtra non timebit cor meum. Si exurgat adverſum me prælium in hoc ego ſperabo. Unam (rem) petii à Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini* (ſcilicet in domo religioſâ) *omnibus diebus vitæ meæ. Ut videam voluptatem Domini* (quam habent omnes illi qui vivunt religioſe) *& viſitem templum, ejus*

ſcili-

ſcilicet Regnum Cælorum Viris Religioſis appromiſſum. His vel ſimilibus verbis, dum utetur novitius, accendetur magis ad amplectendum ſtatum religioſum, & in profectu ſpei magis confirmabitur, præſertim ſi illi Magiſter benè imprimat, quod DEUS nunquam relinquat ſperantes in ſe, juxta illud: *Multa flagella peccatoris; ſperantem autem in Domino Miſericordia circumdabit.*

2dus modus probandi novitios in virtute & profectu, ſpei, eſt illis multa eaq; grandia & notabilia promittere, effectum tamen promiſſionis in inſtanti non oſtendere, ſed omnia in futurum differre. Talî modo probavit Apoſtolos Chriſtus Dominus, quibus plurima & maxima promittere ſolitus fuit, ea tamen ſtante vita ſua illis non exhibuit, ſed in futuro exhibenda, exequenda, & concedenda cenſuit. Sic Matthæi 19. dixit Petrus ad JESUM Magiſtrum ſuum, nomine omnium Apoſtolorum, *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? JESUS autem dixit illis, Amen dico vobis,*

quod

quod vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſràél. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut Patrem, aut Matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum? centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit. Multi autem erunt primi, noviſſimi, & noviſſimi primi.

§ III.

In quo proponuntur aliquot modi probandi novitios in Charitate.

Primus modus probendi novitios in Charitate eſt; frequenter inquirere ex illis, utrum verè, ſincerè, & toto corde diligant Deum? quod ſi repetitis vicibus reſponderint conſtanter, quod diligant, tunc in fundamento iſtius dilectionis imponendum eſt illis aliquod onus & officium grave, ut illud ex amore & Charitate Dei patienter ferant, & ſuſti-

& ſuſtineant. Talî modô probavit Chriſtus Dominus Petrum Apoſtolum Joannis 21. Cap: primò enim multîs vicibûs inquiſivit ex Petro, utrum ſe diligeret? *Cum autem prandiſſet, dixit Simoni Petro JESUS? Simon Joannis diligis me plus his? Dixit ei: etiam Domine, tu ſcis quia amo te, Dicit ei: paſce Agnos meos, Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? ait illi: etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei paſce agnos meos. Dicit ei tertiò. Simon Joannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus quia dixit ei tertio amas me? & dixit ei: Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te.* Poſtquam ergo Chriſtus Dominus ſufficienter examinaverit Petrum de dilectione ſui, tum deindè dedit ei poteſtatem non tantum agnorum, ſed etiam omnium univerſaliter paſcendarum ovium: *Paſce oves meas.* Talî modô procedat ſibi Magiſter cum novitiis: *imo* ſufficienter illos examinet, utrum verè diligant Deum, jam autem poſt ſufficiens examen, committat eis aliquid faciendum, propter amorem Dei.

Habetur in ſpeculo exemplorum ſub-

ſub titulo: de amore Dei, quòd quædam virgo nobilis annorum quatuordecim, erga Beatiſſimam Virginem Mariam fuerat ſpecialiter devota. Hæc itaq; virgo multis precibus per ſeptem annos exorabat Pretioſiſſimam Matrem Dei, ut ei Filium ſuum demonſtrare dignaretur. Tandem præfata Virgo in vigilia nativitatis Domini, orationis causâ ſola ingreſſa eſt quandam Capellam, ubi dum oraret, apparuit virgo pulcherrima tenens filiũ in manib9 ſuis, & dixit ad virginem orantem: Accipe Filium meum & conſoleris cum eo; & fecit hoc in inſtanti præfata virgo orans. Cum ergo porrectum Filium accepiſſet, dixit ei Infans ille. Diligis me? reſpondit virgo: omnino diligo. Tum dixit Infans: quantum? reſpondit virgo. Plus quam corpus meum. Ad hæc infans quomodo me diligis? & illa reſpondit. Plus quam cor meum? Et iterum reſpondit Infans JESUS: Quomodo plus quam cor tuum diligis me? & illa dixit. Neſcio reſpondere, reſpondeat ipſum cor meum. Hoc cum dixiſſet, ſtatim in illa cor ejus ab amore diſruptum &

apertum

apertum est. Tunc Beatissima virgo MARIA, suscepit animam ipsius cum cantu Angelorum, & reduxit ad cælum. Ad hunc cantum Angelorum familia domestica concurrit, virginem mortuam invenit, penes quam odore ineffabili omnes repleti exstiterunt. Fratres autem Ordinis Prædicatorum præsentes, in aperto & disrupto corde, hoc aureîs literîs repererunt scriptum. *Diligo te plus quam me, quia me creasti redemisti, & donâsti.* Scivit Optime Infans JESUS, quantum & quomodo eum præfata virgo diligeret, & tamen eam repetitis vicibus interrogavit, quantùm & quomodo eum diligeret, quod ideo fecit, ut eam melius in amore & charitate probaret, quare licet etiam novitii frequenter asserant se Deum diligere, tamen in hac dilectione sunt frequenter probandi, ut per frequentes actus Charitatis Dei, assvescant, amare DEUM.

2dus modus probandi novitios in charitate est; demandare illis exactam præceptorum Divinorum ac humanorum adimpletionem, quæ si omnia adimpleve-

impleverint, ſignum erit veræ ac perfectæ charitatis erga Deum. Fundamentum iſtius doctrinæ conſtat ex oraculo ipſius Chriſti Domini Ioannis Cap. 14 dicentis: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, &c, qui non diligit me ſermones meos non ſervat*, ſuper quæ verba ſcribens S. Gregorius Homil: 30 inquit. *Sed ecce ſi unus quisq; veſtrûm requiratur, an diligat Deum? totâ fiduciâ & ſecura mente reſpondet: diligo. In ipſo autē lectionis exordio audîſtis, quid Veritas dicit. Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit. Probatio ergo dilectionis exhibitio eſt operis, Hinc in epiſtola ſua idem Ioannes dicit: Qui dicit; diligo Deum & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt. Verè etenim Deum diligimus, & mandata ejus cuſtodimus, ſi nos à noſtris voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita deſideria diffluit, profectò Deum non amat: quia ei in ſua voluntate contradicit.*

Tertius modus probandi novitios in charitate, ſunt omnes adverſitates, diſcrimina, afflictiones, & pericula, hoc eſt: Si præfata omnia patienter ferant

novitii propter amorem Dei, tunc signum eſt, quod verè diligant Deum; Sicut enim aurum per ignem, ita homo optimè probatur per adverſitatem: Unde Niſſenus in Dominica 20 inquit. *Qui bene probare vult diſpoſitionem cordis, tangat pulſum in ſiniſtra, ut medici ſolent; ita & qui vult probare diſpoſitionem dilectionis, tangat & probet hominem in adverſitate, quia certior eſt probatio; verus enim amor, nonniſi paſſionibus probatur.*

CAPUT IV.

De Probatione Novitiorum in Virtutibus Moralibus.

Poſtquam Magiſter ſufficienter novitios probaverit tum in votis ſubſtantialibus Religionis, tum in virtutibus Theologicis, deſcendere poſtea debet ad probandos eoſdem novitios in Virtutibus moralibus. Cum ergo jam tam de votis ſubſtantialibus, quam Virtutibus Theologicis modos probandi attulerimus,

lerimus etiam de Virtutibus Moralibus aliquid dicendum est; Et licèt ſylva rerum dicendarum hic occurrat, tamen pauciſſima & valdè breviter proponemus, idq; tantum adferemus modos probandi in virtutibus moralibus principalioribus, & magis neceſſariis cuilibet novitio. Cum autem Humilitas, & Patientia, ſint principales virtutes morales, novitio neceſſariæ; ideo primo de his, tum de aliis diſcurremus breviſſimè, maximè ideo, quia alibi ſeorſivam partem tradituri ſumus, de virtutibus moralibus, ſi DEUS voluerit.

§ I.

In quo proponuntur aliquot modi probandi novitios in humilitate.

Primus modus probandi novitios in humilitate eſt, exemplum humilitatis à Magiſtro dandum. Et tali modô probavit Apoſtolos Chriſtus Dominus, cum enim vellet eos docere & inſtruere in profectu humilitatis, ipſe priùs dedis

illis in se exemplum humilitatis, tum deinde ad eandem humilitatem exercendam, Apostolos hortatus est dicens: *Postquam verò lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua; cum recubuisset iterum dixit eis; Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me Magister & Domine; & benè dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus & Magister; & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Secundus modus probandi novitios in humilitate est, ut cognoscat, & cognoscere curet Magister, si aliquis ex novitiis velit esse major alis, habitâ autem hac cognitione, faciat eum Ministrum & servum omnium, juxta doctrinam ipsius Christi Domini, Matthæi Cap: 20 datam. *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent inter eos. Non ita erit inter vos, sed quicunq; voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare &c.*

&c. Exemplum iſtius doctrinæ habetur evidens, Matthæi 18 cum Apoſtoli acceſiſsent ad JESUM dicentes; *Quis putas major eſt in Regno cælorum?* tunc JESUS cognitâ mente Apoſtolorum, quod aliqui ex illis vellent majores eſſe, advocavit puerum & ſtatuit eum in medio eorum & dixit. *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum cælorum. Quicunq; ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in Regno cælorum.*

Reliqui modi probandi novitios in humilitate ſunt varia exercitia ejusdem humilitatis, quibus antiqui & varii Patres probabant ſuos novitios: Sic apud antiquos Patres Ægypti, moris erat, (de quo ſupra jam diximus) quod dum aliquis in monaſterium ſe ſuſcipi rogaverit, non ante ad mittebatur, quam diebus decem & amplius præ foribus Monaſterii excubans indicium perſeverantiæ ſuæ, pariter & humilitatis, & patientiæ demonſtraverit. Cumq; omnium Fratrum prætereuntium genibus provolutus, & ab univerſis refutatus atq;

deſpectus eſſet injuriîs quoq; multîs affectus, experimentum dederit conſtantiæ ſuæ, & qualis ſit futurus in tentationibus, opprobrii tolerantiâ, declaraverit, tunc demum ſuſcipiebatur & in vita religioſa inſtruebatur.

Talî præterea modo probant alii varii Patres ſuos novitios: Sic dum Ioannes Damaſcenus, vir præclarus ac Dives multisq; honoribus auctus ingreſſus eſſet Monaſterium, commiſſus eſt regimini cujusdam ſenioris ac Magiſtri, cui ante omnia viſum eſt, ut in Ioanne Damaſceno poneret fundamentum humilitatis, quod ut efficeret varia ipſi exercitia humilitatis aſsignabat, injungendo ipſi viliſsima exequi obſequia, videlicet ollas & lebetes expurgare, quisquilias verrere, loca ſecreta mundare, & alia his ſimilia expedire; quæ omnia dum Ioannes Damaſcenus exequeretur, ille ſenior Ioannem Damaſcenum tanquam nihil bonifaceret, arguebat increpabat & admonebat.

Talî modô probavit Magiſter illũ Comitem (dequo Caſſianus de Inſtitutis renunc: C. 9.) Præfat9 Comes familiâ & clarus

clar9 opibûs & in ſcientiis erudit9 ſufficienter, relictîs nobiliſſimîs Parentibùs & fortunâ, ingreſſus eſt Monaſterium: Magiſter ad probandum ejus ſpiritum & fervorem fidei in inſtanti præcepit ei, ut decem ſportas humeris ſuis impoſitas per plateas Urbis ad vendendum ferret, cum hac conditione ac præcautione, ut ſi quis vellet omnes ſimul emere, id non permitteret, ſed ut ſeorſim, ſingulas venderet, ut ſic diutius exercitium humilitatis, & probationis continuaret. Implevit hoc totum Comes ille cum magna devotione, & contemptu propter amorem Chriſti Domini. Talî modô probavit ille ſuperior Iſidorum primarium Civem Alexandrinum, cui in prima ſui ſuſceptione, injunxit ut ante fores Monaſterii ſtaret, & cuilibet tam ingredienti quam egredienti pronus ad pedes caderet dicendo. Ora pro me Pater quia peccavi. In hoc itaq; exercitio humilitatis perſeverabat continuo ſeptem annis, quod dum videret ſuperior, eum inter alios Fratres annumeravit. Sed Iſidorus multis ſupplicationibus petiit per alios

Fratres ac per Joannem Climacum, ut ad prius exercitium ſtandi ante fores rediret innuendo, cautè finem vitæ tuæ imminere Quod dum ei concederet ſuperior, poſt decem dies cum gloria migravit ad Dominum.

Refert Ioannes Climacus gradu 4to de obedientia, quod dum certo tempore ſederet ad menſam, magnus ille Prælatus & Doctor Iſidorus dixit ad eum vis ut in ſumma Senectute oſtendam tibi prudentiàm Dei? reſpondit Climacus: vellem hoc libenter videre. Tum Iſidorus vocavit ab altera menſa quendam ſenem Laurentium nomine ac Presbyterum, qui in Religione transegit 48 annos. Quamprimum venit] ille Laurentius Presbyter flexit genibus ante Abbatem petiit benedictionem & accepit, ſed poſtquam ſurgeret nihil ei dixit Iſidorus, ſed permiſit eum ſtare ante menſam non tamen comedere, licet tunc fuerit initium refectionis. Præfatus ergo Laurentius Presbyter per duas fere horas ſtabat ante menſam immotus. Quod dum videret Ioannes Climacus, erubeſcebat (ut ipſe refert) nec audebat vultum

ejus intueri eo quòd jam ille Laurentius Præsbyter, Seniculus esset habens annos octoginta & sic sine responso stabat ante mensam ad finem refectionis. Dum surgerent à mensa, Abbas Isidorus jussit eundem Laurentium recitarè Psalmum 39num. Finitâ mensâ supradictus Ioannes Climacus interrogavit Laurentium Presbyterum quid tunc cogitaret, dum ante mensam tam diu staret? respondit, in Persona superioris, statui mihi Dominum JESUM nulla ratione credendo quod superior mihi præciperet, sed ipse DEUS: unde non tanquam ante mensam hominum, sed tanquam ante altare Dei stabam, Deum meum & Creatorem meum orando, nullam malam cogitationem contra superiorem meum admittendo ex fidelitate & amore erga illum. De Macedonio Archidiacono testatur Ioannes Climacus, quod dum immineret festum trium Regum, petiit Abbatem suum ut in quibusdam suis negotiis posset adire Alexandriam, rediturus pro festo trium Regum. Sed cum per astutiam Dæmonis pro destinato tempore non rediret,

Abbas privavit Macedoniûm officio Archidiaconatûs seu Diaconatûs & inter postremos novitios annumeravit. Suscepit libenter hánc pænam Macedonius, tanquam non ille sed tanquam alius esset punitus. Dum in hac pænitentia quadraginta dies transegisset restituit ipsum Abbas officio suo. Sed Macedonius transacta una solum die in officio suo obnixè petiit Abbatem; ut eum pristino statui privationis ac humiliationis inter postremos novitios restitueret, dando causam quod aliquid gravius in Civitate permiserit. Abbas videns quod Macedonius hoc ipsum ex amore humilitatis peteret, concessit ei quod petiit. Hic Macedonius dum interrogaretur, quare præfato exercitio humiliationis se ipsum spontè subderet? respondit, se nunquam fuisse ita liberum ab omnibus tentationibus & nunquam ita gustasse dulcedinem cælestis lucis sicut tunc, dum inter postremos novitios locaretur.

Scribitur in vitis Patrum, Parte 2da libro de humilitate, quod venerint aliquando senes ad Abbatem Antonium,

& erat

& erat cum eis etiam Abbas Joſeph. Volens autem Abbas Antonius probare eos movît ſermonem de ſcripturis Sanctis & cæpit interrogare à junioribus quid eſſet hoc, aut illud verbum? & ſinguli ei dicebant prout poterant. Ille autem dixit: necdum inveniſtis. Poſt omnes verò dixit Abbati Joſeph: Tu quomodo dicis eſſe verbum hoc? ille autem reſpondit: Neſcio: & ait Antonius; Tu ſolus inveniſti humilitatis januam.

Ex hactenus adductis exemplis conſtat quibus modis antiqui probaverint ſuos ſubditos in virtute humilitatis? His ergo omnibus poſſunt etiam omnes Magiſtri probare ſuos novitios: plura ſi habere voluerint legentibus ubiq; patere poſſunt.

§ II.

In quo Proponuntur aliquot modi probandi novitios in virtute patientiæ.

Primus modus probandi novitios in virtute patientiæ, & per inflictionem

cuius-

cujuscunq; rei molestæ, asperæ, ingratæ, quacunq; ratione hominem irritantis. Tali modo in virtute patientiæ probavit DEUS Optimus maximus Patres & Patriarchas veteris testamenti, uti Abraham, Jsaac, Jacob, Joseph, Tobiam, Job, David & alios. Talî modô probavit Apostolos Christus Dominus per totam & universam vitam eorum, siquidem tota vita Apostolorum constabat innumeris persecutionibus, molestiis, invidiis, discriminibus, periculis flagellis, fame, frigore, siti, & âliis similibûs quæ omnia ideo permisit Christus Dominus in Apostolos, ut per horum omnium tolerantiam probarentur & darent experimentū patientiæ.

Jn libro sententiarum Patrum §22 refertur fuisse quosdam duos Monachos in una cella residentes quorum humilitas & patientia à multis Patribus laudabatur. Auditâ hac fama eorum, vir quidam voluit probare & experiri, utrum veram patientiam & humilitatem haberent? venit ad eos visitandi gratiâ dum ab illis, cum magno gaudio susceptus esset & secundùm morem celebratis orationi-

orationibus & Psalmis exiit extra cellam eorum & conspexit parvulum hortum in quo olera sua ad usum habebant: accepto igitur utraq; manu baculo, omnia illa olera & herbas destruxit, evertit, & penitus eradicavit ita ut nec minimum aliquid integrum remaneret, Hoc factum videntes illi duo Fratres, ne minimum quidem verbum contra præfatum virum herbas & olera destruentem dixerunt, neq; in vultu suo aliquam tristitiam vel rugam ostenderunt. Postea intrarunt cellam & absolutis vespertinis orationibus, flexis genibus coram illo sene probante illos dixerunt: Jube Domine ut eamus & si aliquos caules brassicæ inveniemus ut præparemus & comedamus, quia jam venit hora ut aliquam refectionem capiamus. Tunc senex cadens in terram veneratus est eos dicens: gratias ago Salvatori nostro Christo quoniam video spiritum Sanctum requiescentem in vobis & propterea persvadeo, exhortor vos fratres charissimi, ut ad finem usq; Sanctæ humilitatis & patientiæ virtutem custodiatis ut illa vos in Regno cælorum

magnos

magnos & laudabiles in conſpectu Dei oſtendat. Hoc vel ſimili modo procedat ſibi Magiſter cum novitiis hoc eſt ſi extra cellam vel in cella videat aliqua opera eorum ſive ſcripta ſive alio artificio facta, hæc in inſtanti etiam nulla data ocaſione à novitiis, proprio motu deſtruat evertat vel ejiciat, tunc in eodem momento habebit experimentum patientiæ vel impatientiæ.

Secundus modus probandi novitios in virtute patientiæ eſt, velle eos expedire de anno Probationis & gremio Religionis quamvis capaces ad omnia videantur, ac nullam notam contra ſe habeant. Talî modô probavit quidam Epiſcopus Abbatem Moyſen, ut conſtat in libro doctrinæ Patrum numero 13. Cum enim Abbas Moyſes minores Ordines ſuſciperet & dum illi ſuperpelliceum imponeretur dixit ei-- Epiſcopus Ordinator ejus. Ecce modo Abbas Moyſes factus es Candidatus! & ille reſpondit: quomodo putat Sanctitas tua, utrum intus an tantum extra? tunc Epiſcopus volens probare Abbatem Moyſen, dixit Clericis: quando

Abbas

Abbas Moyses intrabit ad Altare expellite illum & statim sequimini eum, ut audiatis quid etiam dicet? Dum ergo eum expellerent dicentes. Vade hinc ethiops, tunc ille exeundo dicebat: Bene tibi factum est. sordide & denigrate, cum enim esses bestia, ausus es hominibus permisceri. Quando ergo & Magister volet probare suos novitios & patientiam eorum, utatur pari stratagemate nempe, injungat instructori vel cuicunq; alteri vices suas gerenti, quatenus hunc vel illum novitium certum faciat, de sua expeditione ex anno probationis cum declaratione quod ex multis rationibus motivis & documentis sit incapax ad hoc institutum amplectendum quamvis aliùs ille novitius sit ipso facto capax & sufficiens: Dum autem hoc novitio deferetur per Instructorem vel quemcmunq; alium, tunc ille cautè & prudenter subaudiat quid etiam ad talem relationem dicet novitius? videlicet an patienter feret an murmurabit.

Tertius modus probandi novitios in virtute patientiæ potest esse per insperatam, extraordinariam & gravem

confusio-

confusionem humiliationem & mortificationem eorum. Narrat Cassianus quod dum magna multitudo Monachorum sederet ad mensam, (penes quam fuit etiam ipse Cassianus) tunc ipse Abbas cum aliis Fratribus ministravit ad mensam: contigit autem quod unus Frater tardius aliquomodo deferret portionem: Abbas ex hac occasione ita graviter percussit eum ad maxillam, ut sonitus percussionis ad omnium sedentium aures perveniret. Abbas autem ideo hoc totum fecit ut omnibus præsentibus patientiam ejus demonstraret cum exemplo admirabilis modestiæ, & quod Abbas cum bona intentione id fecerit, eventus rei ostendit; ille enim stupendæ patientiæ Juvenis, cum tanta alacritate & fortitudine præfatam percussionem suscepit ut non tantum ullum verbulum de ore ipsius prodierit, aut aliqua vel minima in motu labiorum murmuratio apparuerit, sed neq; in vultu ulla ratione mutatus fuerit.

De simili percussione in novitiis probandis practicanda, non do consilium, sed quid in hac re sentiam aperio, & dico:

dico: ô quam multi præsentis ævi novitii, claustra & Monasteria desererent, si ita à Magistris suis probarentur! quoniã ergo ita graviter non probantur, & tamen gravem esse annum probationis murmurant, ipsi viderint quàm longè distent à primæva antiquorum novitiorum perfectione, & zelo spiritûs. Licet ergo Magister allatũ immediate modũ in probandis novitiis non practicabit, tamẽ poterit sibi adinvenire alios modos; & industrias humiliandorum novitiorum, uti sunt publicæ penitentiæ in Choro, Refectorio, Oratorio, & aliis locis, item humicubationes & confessiones peccatorum, publicè faciendæ, tum in Capitulis, tum in congressibus publicis: per tales enim confessiones sicut homines confunduntur, erubescunt, & humiliantur; ita optimè probantur. Admirabile in hac re exemplum refert Ioannes Climacus Gradu quarto de obedientia pag: 48 qui in hæc verba ait. Cum in cænobium quoddam devenissem aliquando, animadverti judicis, pastorisq; optimi terribile judicium. Nam dum illic moram traherem, contigit quendam ex latronum

ordine, ad monasticæ conversationis gratiam, venire. Quem Optimus ille pastor peritissimusq; medicus, per dies octo quiete omni pefrui jussit, ut Monasterii statum normámq; omnem perspiceret. Post diem verò octavum seorsim accitum pastor interrogat: num sibi censeret optimum, cum illis unà habitare Cum vero illũ sibi cum omni sinceritate annuentis voce respondisse cerneret: Rursum: quid in sæculo iniquum operatus esset? interrogat? Postquam verò illum sibi promptè & rationabiliter, omnia confessum vidit, iterum ad illum tentandi gtatiâ dicebat: Volo (inquit) ut hæc omni cætu fratrum adstante confitearis, & detegas. Jlle revera sua detestans scelera, omniq; confusione calcata, indubitanter id se facturum pollicitus est, Et si vis (inquit) etiam in Alexandriæ Civitatis medio id faciam, Deinde collectîs in Ecclesia Pastor omnibûs ovibûs suîs (erant, autem numero 230) Cũ consummarentur Divina Mysteria (erat enim dies Dominicus) lectô Evangeliô inferri jam reum illum, nihil contra querentem jubet quibûsdum

dam illum ex fratribûs trahentibûs, modiceq; verberantibûs, vinctum post terga manus, asperrimoq; cilicio amictum, conspersumq; cinere caput, præferentem, adeo ut ex ipso aspectu omnes stupefacti, protinus exorto gemitu ingenti proclamarent, ac mugitum redderent. Neq; enim quisquam illorum, quid fieret, sciebat. Cum vero jam Ecclesiæ januis appropinquaret magna illum & terribili voce compescuit, sacrum illud caput clementissimi judicis. Sta, (inquiens) es enim indignus ut hujus loci limen attingas: Tunc ille pastoris voce percussus, quæ ad illum ex intima veri medici sapientissimaq; ratione sonuerat, videbatur enim sibi, ut nobis postea sub jurejurando firmabat, non vocantis hominis, sed terribilis tonitrui vocem audivisse, tremebundus & omnino pavore turbatus, in faciem protinus corruit. Cum vero jaceret humi, & pavimentum madefaceret lachrimis, permittitur ab admirabili medico, qui cuncta ad illius salutem moliebatur formamq; salutis ac certissimæ humilitatis omnibus dare cupiebat

cuncta quæ gesserat, singulatim & per species dicere. Jlle vero cum horrore ingenti omnia, singulatim confessus est, quæ audiens omnis cætus, penitus exhorreret. Non tantum quæ per corpus præter naturam, ac secundum naturam in irrationabilibus, & mutis animantibus deliquerat, verùm etiam veneficia & homicida &c: quæ audire, aut scripturæ tradere fas non est, omnino nihil reticens. Confessum igitur statim tonderi, fratribusq; aggregari permisit. Ego vero Sancti illius admiratus sapientiam, seorsim interrogavi illum secretius, cujus rei gratiâ, tam peregrinam judicii formam exhibuisset? Jlle autem ut verus medicus, duarum rerum gratiâ. Primum quidem ut confitentem, per præsentem temporalemq; confusionem à æterna confusione liberarem quod & factum est. Neq; enim ex pavimento surrexit (ò Joannes) quin peccatorum omnium remissione potitus est. Neq; ullo hujus rei scrupulo velim movearis. Nam unus ex fratribus qui illic aderant, mihi procerum quendam ac terribilem se vidisse asseveravit, conscriptam char-

tam

tam ac calamũ tenentem & cũ frater ille humi proſtratus, peccatũ confitens pronuntiaret, hoc ille calamo delebat, & merito ſane dixi, inquit: Pronuntiabo adverſum me iniquitatem meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Secundo ſane quia habeo non nullos qui peccata quidem necdum confeſſi ſunt. Quo circa jam & illos ad confeſſionem hoc exemplo provoco, qua ſine nullus remiſſione potietur. Hactenus verba Climaci.

Expendant hic Novitii, qua dexteritate fortitudine ac reſolutò animô confeſſus fuerit publicè omnia peccata ſua etiam enormiſſima, præfatus latro pænitens? quare & illi dum per confeſſionem peccatorum ſuorum probantur à Magiſtro, non reſiſtant eidem ſed omnia peccata ſua ſaltem minora non jam in facie Eccleſiæ ſed in privato oratorio vel refectorio realiter & aperte confiteantur: quod ſi exinde aliquam confuſionem coram hominibus patientur, pro hac ipſa confuſione remiſſionem à Domino conſequentur.

Quartus modus probandi novitios

in virtute patientiæ eſt, poſtulata eorum vel abſolutè rejicere vel coram poſtulantibus ſe ſubtrahere. Talî modô probavit Abbas quidam, B. Mennam, ut teſtatur Joannes Climacus Gradu 4to de obedientia dicens: Multas quidem & alias hujus Beatiſſimi Mennæ virtutes, nobis loci ejusdem Patres referebant. Dicebant vero & iſtud, quod volens aliquando inſignem illius Pater monaſterii probare patientiam, reverſum ad Monaſterium, proſtratumq; Abbati, & benedictionem ſecundum conſvetudinem ſuſcipere orantem, à veſpera uſq; ad ſecundam collectæ horam ita illum humi jacere proſtratum permiſit. Tunc vero jam illum benedicens & veluti oſtentationis gratiâ cuncta facientem, ac impatientiſſimum objurgans, erexit tandem. Sciebat enim Sanctus, quam id fortiter ferret, quocirca & iſtud ad cunctorum ædificationem ſpectaculum edidit. Hujus vero Sancti Mennæ diſcipulus, qui Magiſtri omnia pleniſſime noverat, & de his certiores nos reddere ſolebat. Cum illum curioſius interrogarem, an ante Abba-

tem

etem ita proſtratus ſomno depreſſus fuiſſet, aſſeverabat illum ſic humi jacentem Pſalterium omne ceciniſſe.

Quintus modus probandi novitios in virtute patientiæ eſt illos acriter ſeverè & graviter increpare arguere & objurgare Tali modo probavit Chriſtus Dominus Petrum Apoſtolum Matthæi 16: ubi cum audiret Petrus à Chriſto Domino quod oporteret eum ire Jeroſolymam & multa à ſenioribus & ſcribis & Principibus ſacerdotum pati & occidi, ac diè tertia reſurgere tunc Petrus cæpit increpare JESUM dicens: *Abſit à te Domine non erit tibi hoc. JESUS autem converſus ad Petrum dixit. Vade poſt me ſathana, Scandalum es mihi, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.* Pari modô probavit Galatas S. Paulus ad quos ſcribens inquit. *O inſenſati Galatæ! quis vos faſcinavit non obedire veritati ante quorum oculos JESUS Chriſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus? Hoc ſolum à vobis volo diſcere: Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei? Sic ſtulti eſtis ut cum ſpiritu cæperitis, nunc carne conſummemini.* § III.

§ III.

In quo proponuntur aliquot modi probándi in reliquis virtutibus moralibus per varia exercitia earundem virtutum.

Primus itaq; modus probandi novitios potest esse per exercitia orationis tam mentalis quam vocalis. Praxis probandi per orationem potest fieri multis modis: *1mo* assignando eis longiorem orationem ultra consvetudinem. *2do* injungendo illis orationem quando non speraverint esse orandum. *3tio* examinando quos fructus ex oratione collegerint. *4to* quomodo & quantùm affecti sint orationi. *5to* tollendo eis òrationes privatas ex proprio placito electas, & destinando eas quæ Magistro placuerint. *6to* attendendo quid potius velint intermittere, an orationis studium an alicujus temporalis negotii necessitatem? *7mo* utrùm tantùm ex consvetudine

tudine orent, an autem ex fervore? *8vo* utrum dormire ſoleant in oratione? *9no* utrum orationis cauſa, fugiant converſationes & fabulas inutiles: *10* utrum primi ſint ad orationem an ultimi? Hæc probatio per orationem ſive mentalem ſive vocalem eſt ſummè neceſſaria: quia oratio (præſertim mentalis) juxta S. Tereſſiam eſt omnium, virtutum comparandarum principium cujus vel unicus quadrans legitime inſumptus (teſte S. Jgnatio] ſufficit ad hominem brevi tempore ad augem perfectionis adducendum. Cum ergo novitii ſint in via comparandarum virtutum, & incipiant tendere ad augem perfectionis, beneficio orationis id totum acquirere debent.

Secundus modus probandi novitios, poteſt eſſe per exercitia audiendarū miſſarum. Multi enim in actuali miſſarum auditione illuſtrati, multi cæleſtibus viſionibus donati, multi variis beneficiis ſupernis repleti, quare ſi & novitii in audiendis miſſis ſe quotidie & legitimè exerceant, magnum exindè profectum capient. Praxis probandi

per auditionem missarum simili modo fieri potest sicut per orationem.

Tertius modus probandi per exercitia lectionis spiritualis. Occupatio militis est circa arma, statuarii circa statuas, qui bene pugnat, vir fortis, qui exactè construit statuas, bonus statuarius reputatur: pariter occupatio novitii est circa librum spiritualem, proinde si illi continuo incumbat, & fructuosè attendat, vir spiritualis judicandus erit. Unde principalis curæ, magistri novitiorum erit, ut attendat super hoc, quatenus illius discipuli, assiduo lectioni spirituali incumbant, quia inter speciales causas, exquibus frequenter novitii deficiunt, est intermissio lectionis spiritualis.

Quartus modus probandi, potest esse per exercitia ad mensam fieri solita, qualia sunt munus portandi portiones, & inserviendi omnibus ad mensam in ultimo loco: consvetudo culparum ac pænitentiarum tempore refectionis, impositio abstinentiæ aliis manducantibus, propria confessio seu recognitio ordinariorum defectuum omnibus præ-

sentibus

ſentibus: & alia his ſimilia quæ pro ratione & Inſtituto cujuslibet Religionis practicari ſolent.

Quintus modus probandi poteſt eſſe per exercitia Chori quomodo ſe in illo gerant novitii, qualiter ſe cantui applicent, quâ diligentiâ & fervore Horis Canonicis aliisq; devotionibus communibus ſe applicent? utrum ſentiant tædium in Choro, utrum frequenter de illo exeant, utrum primi vel noviſſimi ad eundem veniant, utrum frequenter ſint in illo abſentes, utrum fervidè an vero tæpidè in eodem ſe gerant, ex his enim omnibus, poteſt probari ſpiritus unius cujusq, & haberi indicium interioris hominis.

Sextus modus probandi novitios poteſt eſſe per exercitia vigiliarum nimirum utrum occurrente ſibi hebdomada diligenter vigilent, an vero ſomnolenti dormiant? utrum munus vigilandi ſuſtinere poſſint, utrum libenter ſurgant pro matutino media nocte, utrum pulſum media nocte obſervent, eiq; obediant, qualiter veſtiti pro matutino media nocte veniant? utrum tempore matutini

tutini dormitent, utrum post matutinum redeant directè ad cellas, an verò divagentur per cellas & curritoria &c. &c.

Septimus modus probandi novitios potest esse per exercitia silentii: Taliter probavit quosdam suos Fratres S. Franciscus Seraphicus. Hic dum post initia conversionis suæ, sedendo quodam tempore cum Filiis suis, ex fervore spiritus uni ex illis, mandavit ut in nomine Domini os suum aperiret & loqueretur de Deo, quod illi spiritus Sanctus dictaret. Frater itaq; ille in virtute S. Obedientiæ cæpit loqui mirabilia Dei ex inspiratione sancti spiritus. Sanctus autem Franciscus jussit eum subito tacere & alterum loqui ut pariter de Deo loqueretur, quod spiritus S: dictaret. Et dum ille alter quod jussum fuerat faceret, magnalia de Deo locutus est. Et S. Franciscus pariter & hunc jussit tacere. Tertium tandem Fratrem surgere jussit & ut nihil præcogitando in honorem Domini nostri JESU Christi aliquid loqueretur: & hic exemplo præcedentium humiliter obe-

diendo

diendo abſcondita de Deo aperuit. Sicut ergo S: Franciſcus ſuos Fratres fortè volendo probare in ſilentio, primo loqui juſſit, tum deinde tacere: ita Magiſter ſi vult ſuos novitios probare in profectu ſilentii, primo illos aliqua loqui jubeat, tum deinde etiamſi optima & ſumma loquantur jubeat tacere;& ex hoc conſtabit quantum in obedientia & ſilentio profecerint.

Sunt & alii modi probandi novitios; ſed hos ipſe Magiſter poterit ſibi adinvenire,. ſpectatâ ratione & circumſtantiâ perſonarum: verbô concludo; quotcunq; poſſunt numerari virtutes, per harum omnium exercitia poſſunt probari novitii: quare in quacunq; virtute placebit Magiſtro probare novitios, illius virtutis proponat illis exercitium & mox habebit experimentum naturæ, qualitatis, indolis & genii eorum. Quibûs autem modîs poſſint probari novitii per ſingulas reliquas virtutes (de quibus hic non egimus) hoc totum colligi poteſt ex dictis hactenus.

CAPUT

CAPUT V.

Quinam sint fontes, Capita, & origines probandi novitios, eorumq; spiritum in quacunq; virtute?

Quoniam impossibile est referre hic omnes modos & industrias probandi, ideo conveniens & necessarium duxi, ostendere fontes, ex quibus, quilibet Magister possit sibi formare & invenire modos industriasq; probandi. Fontes itaq; & capita ex quibus possint desumi industriæ & occasiones probandi, sunt universaliter omnes res creatæ, & quia omnes res creatæ quatuor elementis constant: ideo hic dabo industrias probandi, ex occasione eorundem elementorum: ex his autem potest sibi Magister ad quamlibet rem creatam descendere, ex illaq; ad normam hic propositam, industrias probandi adinvenire Proinde sit.

§ I.

De Probatione novitiorum per elementum aquæ.

Quam primum B. Antonius ſuſcepit in gremium ſuum, Paulum ſimplicem, tam primum cæpit illum de omnibus inſtruere, quomodo opere manuum ſolitudinem diſcutere deberet, & digitis quidem corporis opus manuale, cogitatione verò mentis & animi intentione, operari teneatur quæ Dei ſunt. Tandem inter alias doctrinas addidit etiam hanc, ut cibum uſq; in veſpera ſumeret, & præcipuè in potu continens eſſet, aſſerendo non minus per aquæ abundantiam, phantaſias animæ fieri, quàm per vinum, calorem corporis increſcere. Inſiſtendo ergo huic doctrinæ B. Antonii, cenſeo novitios etiam per aquam, vel ex occaſione aquæ probari poſſe modis ſequentibus: *imo* negando aliquando etiam aquam novitiis, præſertim dum per æſtum ſolis vel alicujus gravis fatigationis ſitim in-

tenſiſſi-

tensissimam patiuntur; ex sumptione enim aquæ in similibus casibûs graves eveniunt morbi, & variæ infirmitates corporis, præsertim febres diuturnæ &c. *2do* probari possunt, per deportationem aquarum pro usibus Monasterii: *3tio* probari possunt, spectando, si in casu necessitatis, sint etiam aquâ purâ contenti? contigit enim præsenti ævo multa Monasteria ita indigentia esse, ut in illis non modo vinum, sed etiam tenuem cerevisiam deesse frequentissimum sit.

Fundamentum probandi per aquam constat etiam ex Sacra scriptura Judicum Cap. 7. ubi cum Gedeon & omnis populus ejus veniret ad fontem Harad. *Dixit Dominus ad Gedeon: Multus tecum est populus nec tradetur Madian in manus ejus, ne glorietur contra me Israël & dicat: meis viribûs liberatus sum. Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica. Qui formidolosus & timidus est, revertatur Recesserunt de monte Gala ad, & reversi sunt ex populo viginti duo millia virorum, & tantum decem millia remanserunt.* Dixitq; Dominus ad Gedeon, *adhuc populus multus; est, duc eos ad*

aquas

aquas, & ibi probabo illos, & de quo dixero tibi vt tecum vadat, ipſe pergat, quem ire prohibuero revertatur. Cumq; deſcendiſſet populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui manu & lingva lambuerint aquas ſicut ſolent canes, lambere, ſeparabis eos ſeorſim; qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt. Fuit itaq; numerus eorum qui manu ad os projiciente lambuerunt aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian, omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum ſuum, quod & factum eſt. Ex tam fusè deducto textu ſcripturæ conſtat, quod DEUS optimus Maximus probaverit Jſràélitas per aquas, & ex occaſione aquarum. *Duc eos ad aquas & ibi probabo illos.* Quare novitii vel quicunq; alii viri Religioſi, non poſſunt legitime iraſci Magiſtro vel Superiori ſuo, ſi eos aliquando probaverit per aquas, vel ex occaſione aquarum.

Qualiter autem DEUS probaverit Jſràéli-

Jsràélitas per aquas, hoc videamus & attendamus quod ibi dicit DEUS. *Qui manu & lingva lambuerint aquas, sicut solent canes lambere separabis eos seorsim, qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt.* Qui ergo manu & lingvâ lambuerunt aquas, hi electi sunt ad pugnam, & probati milites judicati, qui vero curvatis genibus bibebant, hi sunt à pugna remoti & relicti. Per has aquas intelligunt nonnulli Doctores Baptismi gratiam, mihi liceat intelligere austeritates annuæ probationis, per Jsràélitas manu & lingva lambentes aquam, intelligi possunt omnes illi qui veniunt ad annum Probationis Religiosæ. Qui ergo veniunt ad has aquas nempe ad austeritates probandas, non debent procidere in terram & flectere vel curvare genua sua & cedere tentationibus futuris, sed stare firmiter, & constanter, juxta illud Prophetæ. *Dimissas manus & dissoluta genua erigite, & gressum rectum facite semitis vestris.* Et juxta illud Pauli Apostoli:. *State iterum, & nolite jugo servitutis inhærere.* Per illud autem quod additur *manu & lingva*

lingva lambebant: intelligitur, quod manu & lingva operari debent milites Christi, & professi ejus, hoc est opere & verbo, quia, qui docet & facit, hic magnus est in Regno cælorum. Qui ergo opere & verbò operantur, hi sunt probati & electi, qui verò hoc ipsum non faciunt, hi sunt rejiciendi, & revertantur ad sæculum, unde venerunt.

Sed præterea ex occasione & circumstantiis aquæ, possunt desumi aliæ & aliæ industriæ probandi: *imo*: aquæ virtus exinde probatur, quod sit ita hominis imperio subdita, ut viam eundi, vel fluendi ipsa sibi non eligat, sed quibuscunq; tractibus, vestigiis littoribus dirigitur, his fluit, currit, ac defluit: verbô dicam: *aquà, quà duxeris sequitur:* Sicut præfata aqua, taliter & novitii probari & dignosci possunt, si nimirum ita sint superioris ac Magistri sui subjecti imperio, voluntati, ac dispositioni, ut sibi pro suo placito vias & ascensiones in corde suo non disponant; sed quibuscunq; mediis, itineribus limitibus, ac semitis ordinentur, illis eant, incedant, & ita se in omnibus

R gerant,

gerant, ut qua ducti fuerint ſequantur, ſive ad dextram, ſive ad ſiniſtram, ſive deorſum, ſive introrſum, ſive infra, ſive ſupra, ſive ad honorem ſive ad contemptum, ſive ad dulcia ſive ad amara, ſive ad commoda, ſive ad incommoda, &c. &c.

2do aquarum virtus exinde dignoſcitur, quod illis continuus motus etiam rapidus, etiam violentus, etiam ventis vehementiſſimis agitatus nihil noceat, ſed potius continuò ſerventur & conſerventur motu. Vis probare & cognoſcere indolem novitiorum, efficias hoc cum illis ut ſint ita in continuo motu, ſicut aquæ: ſi ergo tunc continuum motum patienter ſuſtinebunt, etiamſi aliquando contingat illis motus rapidus, vehemens & violentus, tunc ſignum erit, probatæ indolis: ſi autem motum iſtum ægre ferunt, & illi ægre ferendi: nam teſte S. Laurentio Juſtiniano *Sicut aqua quæ caret decurſu, ac jacet in foveis, putreſcit repleturq; animalibus venenatis, & noxiis: ita & corpus tabe confectum* (conſequenter & novitius motu & labore carens] *concupiſcentiarum carnalium parit inſaniam.*

3tio

3tio aqua inde probatur, quod eo magis congelaſcat & firmetur, quo majoris frigoris rigor ſuccedat, unde illi adſcriptum eſt lemma. *Rigore ſubſiſtit.* quid frequentius poteſt eſſe odioſum homini quam rigor legum, tam Divinarum, quàm humanarum? quare ſi novitii præfatum rigorem amant, obſervant, & venerantur, ſi rigore legum, conſtitutionum, ſtatutorum, ac ipſius Regulæ magis confirmantur in ſpiritu, & planè congelaſcunt, ita fortiter ſicut aqua; tunc cenſendum eſt illos eſſe probatos, vel ſaltem proximè diſpoſitos ad ulteriorem probationem.

4to aqua è ſalſo mari ad ſuperiorem regionem elevata in nubem conſcreſcit, & per virtutem ſolis dulcis relabitur: unde illi additum eſt lemma. *Dulcior inde redit* Novitius de ſæculo ad Religionem veniens, venit tanquam aqua de ſalſo mari ad ſuperiorem regionem, nempe ad Religionem; ſi ergo in Religione dulcior eſt in profectu, dulcior in ſermonibus; dulcior in operibus, ac in omni obſervantia Regulari, ſignum eſt probatæ indolis.

5to ex occaſione aquarum maris poſſunt pariter deſumi induſtriæ probandi. Mare agitatione purgatur, ſordida pellit, procul ex ſe ejicit fæces, & ſordida vomit. Hoc totum inveſtigandum eſt in novitio, continuo agitandus, continuo impellendus, continuo variis auſteritatum procellis vexandus, quæ omnia ſi ſuſtineat, ac per hæc ipſa de vitiis præteritis purgatur, & omnia noxia evomat, ac ejiciat, ſperandum in Domino, quod poſtea gemmas parturiet.

6to ex occaſione aquarum fluminis poſſunt deſumi induſtriæ probandi. Flumen enim ſemper creſcit eundo, ſemper abundantius fluit & nunquam retrorſum currit. Hæc tria debet habere novitius, ſemper debet creſcere, eundo de virtute in virtutem, ſemper debet abundantius & latius proficere, quia *Profectus noſter* (inquit S. Bernardus Serm de Pur: B M Virginis] *in eo conſiſtit, ut nunquam arbitremur, nos prehendiſſe, ſed extendamur ad anteriora, inceſſanter conemur in melius.* Tandem novitius nunquam debet, retrorſum

currere,

currere, ſed in uno eodemq; propoſito ſtare, quodſi aliquando retrorſum proſpiciat non eſt aptus Regno cælorum. Poſſent & aliæ induſtriæ probandi ex occaſione & circumſtantiis aquarum deſumi, ſed hic brevitatis ſtudio omittuntur.

Plura documenta Probationis per aquas qui vult habere, reſpiciat Noe Genes: C: 7mo ubi ingrediente Arcam eodem Noe, Factum *eſt diluvium quadraginta diebus ſuper terram & multiplicatæ ſunt aquæ & elevaverunt aquam in ſublime à terra*: in quo caſu quid paſſus fuerit Noe, & quam exactè probatus fuerit, cuilibet conſtare poterit, expendenti ſaltem obiter Magnitudinem illarum aquarum & totius diluvii. Reſpiciat item Moyſen & totum populum Iſraeliticum, quem DEUS ſicco pede perduxit per mare rubrum: reſpiciat tandem Ioſue & eundem populum, quem DEUS pariter ſicco pede traduxit per aquas Iordanis quæ omnia prodigia & miracula in aquis, fuerunt inſtrumenta probationis.

§ II.

De Probatione per elementum ignis.

Quod probatio novitiorum possit esse etiam per ignem, fundamentum hujus constat ex plurimis sacræ scripturæ locis, imo ex lib: numerorum Cap. 31 *Omne quod potest transire per flammam, igne purgabitur.* 2do ex libro Psalmor: *Probasti me DEUS & visitasti nocte, igne me examinasti & non est inventa in me iniquitas.* Item Psal: 65. *Quoniã probasti nos DEUS, igne nos examinasti sicut examinatur argentum &c. Transivimus per ignem & aquam & induxisti nos in refrigerium.* 3tio ex libro Proverbiorum Cap. 17. *Sicut igne probatur argentum & aurum ita corda probat Dominus,* 4to ex lib: Ecclesiastici Cap. 15. *Apposuit tibi aquam & ignem ad quod volueris porrige manum tuam.* Item alibi. *Et liberasti me à pressura flammæ & in medio ignis non sum æstuatus.* 5to

ex

ex Zacharia Propheta. *Et erunt in omni terra dicit Dominus partes duæ in ea; & tertia pars relinquetur in ea, & ducam tertiam partem per ignem & uram eos, sicut uritur argentum & probabo eos sicut probatur aurum.* 6to ex Matthæi Cap: 3 *Omnis arbor quæ non facit fructum excidetur & in ignem mittetur. Ego quidem baptizo vos in aqua in pænitentiam qui autem post me venturus est, fortior me est &c: ipse vos baptizabit in spiritu Sancto & igni. Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inexstingvibili.* 7mo ex 1ma ad Corinth 3. *Si quis autem superædificat super fundamento hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fænum, stipulam, unius cujusq; opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur & unius cujusq; opus quale sit? ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superædificavit*, mercedem accipiet, si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem: 8vo tandem

Probatio per ignem patet ex 2da Petri 3. *Cæli autem qui nunc sunt & terra, eodẽ verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii & perditionis impiorum hominum.*

Hæc omnia adducta testantur quomodo DEUS probet & probare soleat homines per ignem; & si cæli inanimati reservati sunt, igni in diem judicii & per ignem probandi? quare homo rationis capax non deberet probari per eundem ignem adhuc in vita? ne post mortem eodem igne probetur. Et hac praxi probandi per ignem usi sunt nonnulli antiqui Patres instinctu Divino extraordinario impulsi, qui ad probandam veram obedientiam aliquorum etiam in apertos accensosq; ignes prosilire jusserunt ut constat ex dictis Parte III Cap: 5 § 2do sed quia hæc probatio per ignem erat extraordinaria miraculosa, ac per specialem inspirationẽ Dei ordinata, ideo ab illa Magistri novitiorum cavere & abstinere debent. Si ergo Magistri volent aliquos probare novitios per ignem, possunt eos probare probatione ordinaria, seu tali quæ non excedat vires naturæ nec indigeat miraculo,

raculo, ſicut indigebat illa, qua uſi ſunt antiqui Patres à me citati: Probatio autem ordinaria per ignem poteſt fieri per obſequia circa ignem tum in culina, tum in aliis locis & circumſtantiis, quas ſibi ipſe Magiſter ſuggerere & invenire poterit. Taliter ex occaſione ignis ſe ipſum exercebat & probabat Coccus ille, quem cum peteret S. Joannes Climacus ut ipſi aperitet, unde mereretur gratiam lachrimarum, qua ipſum præditum videbat? tunc ille precibus fatigatus reſpondit: *nunquam me hominibus ſervire arbitratus ſum ſed Deo, & indignum me ipſum omni quiete judicans, ex hujus ignis contemplatione, ſempiterni incendii jugi memoriâ compungor.* Quoties igitur & novitii circa ignis Miniſteria occupabuntur, toties ſempiternum incendium, hoc eſt infernum contemplentur, & ſic facillimè etiam ardentiſſimos ignes probationis ſuſtinebunt.

Præterea addo. Jgnis dupliciter ſumi poteſt vel phyſice vel moraliter. Jgnis phyſice ſumptus nihil aliud eſt niſi ipſa ſubſtantia hujus ignis materialis quem videmus & palpamus & quo calefi-

calesimus. Jgnis moraliter sumptus est ignis cujuscunq; tribulationis. Probare ergo per ignem physice sumptum est plerumq; difficile & arduum, ipsisq; novitiis vel grave vel aliquando impossibile; probare autem per ignem tribulationis, est ordinarium & possibile. Et hoc innuit scriptura dum inquit. *In igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Porro caminum humiliationis est caminum cujuscunq: tribulationis, angustiæ, & mortificationis, & per talem ignem moraliter sumptum, ac in tali camino humiliationis probati sunt omnes sancti Martyres Confessores & Virgines exceptis tribus pueris in fornacem ignis à Tyranno missis; item exceptis nonnullis Martyribus, qui per ignem materialem passi sunt pro Christo, & transierunt in refrigerium.

§ III.

De Probatione ex occasione & circumstantiis Terræ.

Sicut caput generis humani Adam fuit primus incola & cultor terræ, ita etiam ille primus probatus est à Deo per terram ut constat Genes: Cap: 8. *Adæ vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuæ & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comoderes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vescêris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es & in pulverem reverteris.* Post Adamum omnes illi per terram probati sunt, ad quorum doctrinam, correctionem, admonitionem, ac terrorem, permisit DEUS fieri grandes motus terræ unde Regius Propheta Psal: 17 inquit: *Commota est & contremuit terra: fundamenta montium*

conturbata sunt & commota sunt, quoniam iratus est eis. Quid fundamenta montium deliquerunt? quid ipsa terra peccavit? quod tam graviter contremuerit & commota fuerit? nihil quidẽ ipsa terra, nihil montes peccarunt, cæterũ hæc DEUS ideo contremiscere & conturbari facit ut homines talia videntes probentur in Dei obsequio, confirmentur in fide erga Deum, ut credant Deum esse, *ut sciant gentes quoniam homines sunt.* Inferiùs idem Propheta inquit: *Et Apparuerunt fontes aquarum, & revelata sunt fundamenta orbis terrarum, ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritûs iræ tuæ.* Ergone ab increpatione & ira Dei aperiuntur fontes & fundameta terrarum? ita omnino: ut apertis fundamentis terræ & fontibus, probetur homo & discat timere, amare, & laudare DEum. Sed præter grandes motus ac conturbationes terræ sunt etiam alii faciliores modi probandi homines per terram: & his utebantur antiqui illi Patres Ægypti, qui volentes suos Discipulos probare continuo eisdẽ terram colere, arare, seminare, & variis

laboribus circa illam occupari demandabant, ut sibi quisq; legere potest in vitis eorundem Patrum. Tandem ipse etiam Christus Dominus Matthæi Cap videtur usus fuisse adminiculo terræ ad probandum spiritum Pharisæorum & scribarum, quando enim illi venerunt ad JESUM, & incusarunt mulierem depræhensam in adulterio, tunc JESUS audita relatione eorum nihil dixit, sed inclinans se deorsum scribebat in terra. Et cum in accusatione sua perseverarent Pharisæi, tunc iterum JESUS inclinans se pariter scribebat in terra. Videntes hoc Pharisæi unus post alterum exibant, & sic probata est eorum intentio quà accusaverunt præfatam mulierem, & quo spiritu accesserunt ad JESUM. Quando ergo & novitii accusabunt alios, illi ipsi accusabuntur ab aliis, tunc sibi Magister procedat cum illis more, methodo, & exemplo Christi, videlicet nihil dicens & dissimulanda dissimulans, scribat interim in terra & notet defectus eorum, juxta illud: *scribit in Marmore læsus*: tunc qui magis nocentes erunt ipsi se prodent,

prodent, quia vel impatientes exibunt à Magiſtro; vel contra eum ſaltim occultè murmurabunt, Magiſter autem faciat quod ſuum eſt, & judicet quemq; juxta opera ejus, vel etiam pro ratione Perſonarum dicat huic & illi. Vade & amplius noli peccare.

Quod ſi quis plures ex occaſione terræ voluerit habere modos probandi, tunc hi poſſunt eſſe ſequentes. *1mo* terra probatur eſſe bona, quod quam primum exculta fuerit & variis frumentis repleta, tamprimum non tantum id offert quod accepit, ſed etiam plus & copioſius: unde illi octavius Bordenus hoc inſcripſit lemma *Reddit fideliter.* novitii ſunt illa terra de qua Pſalmiſta inquit: *Benedixiſti Domine terram tuam, avertiſti captivitatem Jacob*, qui ergo illos vult probare, probet illos ita ſicut terram videlicet, primo excolat genium ipſorum, & multis verbi Divini ſeminibus repleat; ſi ergo ſic exculti reddent totum fideliter, imo plus & copioſiùs, tunc eo ipſo apparebunt probata & benedicta terra: quod ſi autem non reddant, tunc excitandi ſunt illis

S. Am-

S. Ambrosii verbis. *Imitanda nobis est natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatiori solet numero reddere, quàm acceperit.* Lib: 1. Off: Cap. 31.

2do terra probatur vel saltem speratur esse bona, quando in illa quamvis interim sterili, enitent signa futuræ fæcunditatis, ita ut de illa dici possit: *exculta virescet:* pariter & novitii probari & sperari possunt esse boni, qui licet hic & nunc sunt steriles bonorum omnium, tamen curant & conantur ut sint fertiliores exemplô S. Donati qui juxta testimonium Sancti Damiani: *sulcabat terram vomere disciplinæ, ut uber segetum proventus erumperet: illucescente gratiæ cælestis radiô fertilius germinaret.*

3tio terra exinde probatur esse & cognoscitur bona, quòd quantumcunq: sit scissa & lacerata ferrô, per hoc non corrumpitur, non fit sterilior, sed vulnere virescit, & sauciata feracior evadit. Ita novitii possunt probari boni & sufficientes, quod licet sint variis austeritatum vulnerati instrumentis, licet sint innumeris contemptuum sauciati aculeis, tamen exinde non de-

spondent

ſpondent animo, non deficiunt in ſancto propoſito, ſed poſt inflicta vulnera, poſt ſauciatum corpus & famam, virentiores, & feraciores perfectionis religioſæ evadant, memores illius quod dicit S. Leo Papa: *Terra carnis noſtræ niſi aſſiduis fuerit ſauciata culturis, cito de ſegni otio ſpinas tribulosq; producit: & partu degeneri, dabit fructum, non horreis in ferendum, ſed ignibus concremandum.* Serm 4 de Jejun.

4to terra exinde probatur eſſe bona imò optima, quod in aliquibus locis non ſolum communes fructus & vulgares, ſed etiam aurum argentum aliaq; pretioſa metalla producat, unde pro lemmate inſcriptum habet: *auri dat ſigna latentis.* Quamvis ergo novitii poterint judicari eſſe boni quando proferunt communes & ordinarios virtutum fructus, ſed tunc judicandi optimi, quando auro charitatis excellunt, & æmulantur non tantum inferiores, ſed etiam ſupremas virtutes.

5to terra exinde probatur eſſe bona in ſuo genere, quod etiamſi nullũ aliud ſubjectum habeat à quo dependeat

vel

vel cui innitatur, tamen ſtat immota, unde illi inſcriptum lemma: *ſuo ſe pondere firmat.* Et ex hoc capite novitii probantur eſſe boni, quod etiamſi aliquando ſint ſoli, etiamſi illorum Magiſter abſit aliquando, cui ſubeſſe & a quo dependere debeant; tamen illi in ſuo propoſito manent immoti, tamen ſuo pondere rationis reguntur, & ita ſe gerunt, ac ſi eorum adeſſet ſuperior.

6to terra exinde probatur eſſe bona, quod quidquid in illa, circa illam, & penes illam agatur, ſive pacificum ſive turbidum, hoc totum permittit neq; his perturbatur, propterea ab Academicis Tarviſienſibus habet iſtud lemma: *Stabilisq; manens dat cuncta moveri.* Hæc virtus debet eſſe novitiorum, & ex hoc optime dignoſci poſſunt cujus ſint indolis, quod etiamſi penes illos ac præſentibus illis, multa fiant turbida, multa minus convenientia, tamen illi ſtabiles manent, dantq; cuncta moveri & currere ordine ſuo, nec minime his, quæ extra illos ſunt, nec ad illos ſpectant, perturbantur.

7mo terra exinde probatur eſſe

bona, quod nullas coruſcationes, nulla fulmina, nullas tempeſtates timeat, nec illis cedat. Et hoc eſt optimum indicium generoſi fortisq; novitii quando nullas adverſitates, nulla pericula, nulla fulmina probantis Magiſtri timet, nec illis cedit, ſed his omnibus impetitus, vel tentatus, fortior triumphat.

§ VI.

De Probatione per elementum àéris.

Aér quatuor habet proprietates: prima eſt frigiditas, 2da calor, 3tia lux, 4ta tenebræ: ex occaſione & circũſtantiis harum quatuor proprietatum, poteſt ſibi Magiſter deſumere induſtrias probandorum novitiorum. Ex prima proprietate àéris, nimirum frigiditate, poteſt illos probare ordinando eos tunc in aliquem locum, ad aliquod obſequium vel munus charitatis, quando àér eſt frigidus, intempeſtus, pluvioſus, & abſolutè incommodus. Ex 2da proprietate

tate àëris videlicet caliditate, poteſt eos probare, ordinando illos tunc ad aliquem locum, quando àër eſt calidiſſimus. Ex 3tia proprietate àëris nimirum tenebroſitate, poteſt illos probare, quomodo ſe in tenebris & de nocte gerant. Ex quarta proprietate àëris nempe luciditate, poteſt illos probare quomodo ſe gerant de die & quomodo lucis diurnæ fruantur uſurâ. Ne verò probatio ex occaſione àëris videatur alicui inuſitata, reduco in memoriam illos viros piiſſimos, qui per àërem ſe ipſos probârunt: & tales fuerunt illi, qui per totas hyemes ſub âëre nudo vixerunt, nullum adminiculum ignis requirentes, ſed omnem rigorem tempeſtatum hyemalium ſuſtinentes: talis fuit B. Simeon Eremita, qui primô fecit ſibi columnam cubitorum quatuor, & ſtabat in ea quotidie ſub àëre nudo per annos quatuor. Deinde fecit ſibi columnam habentem cubitos duodecim, & ſtetit in ea pàriter in àëre nudo per annos duodecim, Tertiò facta eſt ei columna cubitorum viginti, ſtetitq; in ea annos duodecim. Quartò facta eſt ei columna cubitorum

triginta, & ſuper ipſam ſtetit annos quatuor. Quando autem invidus Diabolus transformavit ſe in ſpeciem Angeli, & perſvaſit B. Simeoni ut aſcenderet in cælum, jamq; ad aſcendendum elevavit dextrum pedem, ſed cum per ſignum crucis cognovit eſſe inſidias Diaboli, reverſus in ſe dixit pedi ſuo: *non revertêris retrorſum hinc, ſed ſtabis hic uſq; ad obitum meum, donec vocet me Dominus peccatorem.* Ad extrenum facta eſt ei columna cubitorum quadraginta, & ſtetit ſuper ipſam annos ſexdecem ſub àére nudo uſq; ad obitum ſuum, ut conſtat ex vitis Patrum Parte 1ma fol 47 & 48. Reduco præterea in memoriam illos viros patientiſſimos, qui per longa itinera propter charitatem proximi inſtituta, æſtum ſolis etiam in calidiſſimis regionibus perferebant, nec modicum aquæ, quâ poſſint reficere ſitim, acquirere potuerunt.

Ex dictis infero & concludo generalem doctrinam: ſicut ex qualibet creatura poteſt fieri aſcenſio ad cognoſcendum, amandum, laudandum DEum, juxta illud Apoſtoli ad Rom: 1. C:

Invi

Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, ita pariter ex qualibet creatura potest fieri descensio ad probandum novitium juxta ilud ejusdem Apostoli ad Rom: 8 Cap: *scimus quoniam diligentibus Deum, omnia coòperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Postquam DEUS optimus Maximus creavit primos Parentes nostros, subdidit illis omnem creaturam juxta illud Genes: 1mo Cap: *Benedixitq; illis DEUS & ait: Crescite & multiplicamini & replete terram, & subjicite eam & dominamini piscibus Maris, & volatilibus cæli & universis animantibus quæ moventur super terram.* Dixitq; DEUS ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super *terram, & universa ligna quæ habent in semetipsis, sementem generis sui: & sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ; omniq; volucri cæli, & universis quæ moventur in terra, in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. &c.* Dedit quoq; DEUS primis Parentibus Paradisum & omnes delicias ejus: ad quid precor tot

creaturas; dedit DEUS primis Parentibus, & quo fine? Certè inter alia etiam hôc ut primos Parentes noſtros probaret, quomodo conceſſis & ſubditis ſibi creaturis uterentur. Sicut ergo DEUS probavit primos Parentes per omnem creaturam ſubjectam eorum imperio, dominio & uſui; ita Magiſter poteſt probare novitios ſimili modo, concedendo illis uſum licitum cujuslibet creaturæ, & inſtituendo illos tanquam Rectores cujuslibet creaturæ, & ſimul à longe ſpectando, qualiter his creaturis utantur, v.g. qualiter utantur cibo, potu, veſtitu, aqua, vino, & aliis liquoribus? item qualiter utantur hortis, floribus, fructibus, qualiter utantur die, nocte, ſole, ſtellis, & aliis quibuscunq; in particulari creaturîs; quæ omnia ſi diligens Magiſter obſervabit, infinitas probandi habebit induſtrias & materias. Sed has omnes hic in particulari ego non refero, quia deberem volumina implere: cæterum ex his quæ jam dicta ſunt poterit ſibi prudens Magiſter alias & alias induſtrias invenire, & per illas ſpiritum novitiorum probare cum illa ſemper

cautela,

cautela, ut in omnibus indiſpenſabiliter diſcretionem ſervet, de qua hic ad finem agemus.

CAPUT VI.

Quomodo magiſter debeat inſtruere, plantare, rigare, ædificare, & quodā modo creare novitiū.

§ I.

Hactenus egimus de eo, quomodo Magiſter debeat probare novitium, & quibûs induſtriîs poſſit cognoſcere ac penetrare ſpiritum cujuslibet novitii; hic oſtendendum reſtat, quomodo debeat inſtruere, plantare, ædificare, ac quodammodo creare novitium. Magiſter igitur ita aliquando debet ſibi procedere in inſtruendo, plantando, rigando, ædificando, ac creando novito, ſicut ſibi DEUS proceſſit in mundo creando. Quomodo autem ſibi proceſſerit DEUS in mundo creando & omnibus ad illum ſpectantibus; conſtat toto Gene-

ſis Cap: 1mo: nempe creavit illum non uno ſed ſex diebus; ſeptimo autē requievit, ſingulisq; diebus ſingula opera ex nihilo ibidem creata produxit, eundem mundum primo tenebroſum, deinde lucidum, per variarum creaturarum adornationē effecit. Et ita ſibi per omnia debet cum novitio procedere Magiſter.

Principio igitur (ut deducit Pererius ex Hugone lib: 1 in Genes: fol. 161) quemadmodum primus mundi ſtatus incompoſitus, inordinatus, & tenebroſus, ſignificabat ſtatum hominis in peccato permanentis, ita ſtatus mundi, pulcherrimis illis operibus ſex dierum diſpoſitus, ornatus, & decoratus, ſignificare poteſt ſtatum hominis, novitii, convertentis ſe à ſæculo ad Religionem, & obſequium Dei. Primo die creata eſt lux, & diſtincta dies à nocte: & primum etiam quod in converſione novitii in eo creari debet, eſt lumen intellectuale, per quod prævia inſtructione Magiſtri verè cognoſcat & æſtimet, ſtatus ſui præteriti turpitudinem, miſeriam, & periculū, & quodnam ſit ſummum bonum ſibi ſequendum, quod item verū

malum

malum sibi fugiendum. Annotavit Hugo lucem primô die creatam signi-ficare rectam mentis intentionem, quam habere debet quicunq; vult benè ope-rari, & hæc prægredi debet omne opus, omnemq; actionem nostram, eamq; Do-minus in evangelio appellavit oculum & lumen. *Si oculus tuus inquit fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*: Et paulo post. *Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Nec tantum dixit DEUS lucem esse bonam, sed etiam singula opera, quæ fecit in luce judicavit esse bona, siquidem ad bene operandum, [ut inquit Hugo) duplici opus est bo-nitate & rectitudine: una quidem ipsi-us lucis, id est intentionis, altera ipsius operis, ut ipsum per se bonum sit. Potest enim quispiam bona intentione malum opus facere, ut si quis furetur, & det eleemosynam: & contra, bonum opus facere, sed mala intentione, ut largiri eleemosynam inanis gloriæ causa. Hanc utramq; lucem intentionis debet statim ab initio docere Magister novi-tium, ut sciat omne opus benè operari.

Sed

Sed de hac intentione agetur parte tertia.

Secundo die potest perfici novitius conversus à sæculo ad Religionem secundum affectum, sicut primo die secundum intellectum, Namq; secundo die aqua, quæ prius circumquaq; operiebat & obruebat terram, divisa est in aquam cælestem & terrestrem, interpositò firmamentô. Et aqua quidem secundùm tropologiam significat cupiditatem, amorem & appetitum hominis & novitii, in peccatore autem ac novitio omnis appetitus tam rationalis quā sensitivus circum terram versatur, idest in amore & cupiditate rerum terrenarum plane defixus est. Verùm cum peccator novitius convertitur à sæculo ad Religionem fit divisio amoris: nam novitius ut sensu concupiscit terrena, ita spiritu cælestia, unde oritur intestinum illud & perpetuum dissidium & certamen inter carnem & spiritum, de quo Paulus ad Galatas 5. *Caro concupiscit adversus spiritum; &c ut non quæcunq; vultis illa faciatis.* Et ad Romanos 7. *Condelector legi Dei secundum interio-*

interiorem hominem, hæc eſt aqua cæleſtis: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati:* hæc eſt aqua terreſtris: & ſubdit, *mente igitur ſervio legi Dei carne autem legi peccati.* Firmamentum vero inter duas iſtas aquas interpoſitum, eſt vigor rationis à Deo illuminatæ, timor Divinæ legis Diviniq; judicii, quæ non ſinunt illas duas aquas, id eſt illos duos amores invicem permiſceri atq; confundi. Ut autem præfata diviſio amoris & reliquæ virtutes hic enumeratæ efficaciter plantentur in novitio, hoc Magiſtri negotium eſt.

Tertio die duæ res perfectæ ſunt, etenim aqua obruens terram ita unum in locum ſegregata eſt, ut remanſerit terra partim aquis ſubjacens, partim illis ſupereminens. Similiter etiam in novitio converſo ad Deum concupiſcentia carnalis quæ antea eum obruebat & dominatu ſuo tenebat oppreſſum, ſic per Dei gratiam & Magiſtri Miniſterium ſeparari debet, ut novitius partim ſubjaceat concupiſcentiis, ſcilicet quna-

tum

tum ad eorum sensum & primos motu[s]
atq; titillationes, quas vix quisquã, mor-
talẽ vitã agens effugere potest; partim ei
superemineat videlicet quantũ ad conse[n]-
sum & deliberatã oblectationẽ, nec tant[ũ]
resistat concupiscentiis, sed etiam co[gat]
carnem servire spiritui, servans illu[d]
Pauli præceptum: *Non regnet peccatu[m]
in vestro mortali corpore ut obediatis con-
cupiscentiis ejus.* Ad Romanos. 6. E[t]
illud ejusdem *ad Galatas* quinto. *Qu[i]
sunt Christi, carnem suam crucifixeru[nt]
cum vitiis & concupiscentiis.* Nec ver[ò]
terra aquis duntaxat tertia illa die d[e]-
tecta & siccata est, sed ex se protu[lit]
omnia stirpium & herbarum gener[a].
Similiter quoq; animus novitii à viti[is]
& cupiditatibus terrenis segregatus atq[;]
purgatus procreare debet bona & san-
cta opera, etiam corporalia, quæ pe[r]
corporis membra perficiuntur, uti sun[t]
opera misericordiæ corporalis, & offic[ia]
virtutum quæ in regendo moderandoq[;]
appetitu tam concupiscibili quàm irasci-
bili versantur: velut est temperantia &
fortitudo. Jtaq; compleri debet in no-
vitio id, quod Paulus ad Romanos scri-
psit

posit Cap; 6 dicens· *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificatione.* Et hanc sententiam Sancti Pauli, totamq; doctrinam hic expressam debet insinuare Magister novitio; ut scilicet subjacendo concupiscentiis, sciat illis supereminere, nec tantùm illis sed etiam ut sciat carnem cogere ad serviendum spiritui.

Quartô die in cælo creantur & locantur astra: & in novitio sicut per gratiam conversionis purgatur animus à concupiscentiis, sic per eandem gratiam pars novitii suprema, mens videlicet atq; voluntas illuminatur exornatur, ac decoratur, per dona Dei supernaturalia quæ spiritualiter id præstant animo nostro, quod astra corporaliter ipsi cælo. Et solem quidem dixerim, animæ nostræ charitatem: quemadmodum enim sol est maximum omnium siderum cæterisq; lucem impertitur, ita charitas effecta est ad omnes alias virtutes: Luna quæ condita est in solatium noctis & remedium tenebrarum signifi-

cat spem, quæ in rebus arduis & adversis hominem firmat, atq; sustentat. Fides significatur astro veneris quod luciferum, seu Hesperum appellamus. Sicut enim Lucifer solis ortum præcurrit, & post ejus occasum remanet, sic fides & ante ortum Charitatis, & post ejus occasum manere potest. Quatuor alii Planetæ denotant quatuor virtutes morales, non humanas sed divinitus infusas, nec eas quæ sunt in parte sensitiva, sed quæ sunt in parte rationali. Stella Saturni temperantiam, Jovis justitiam, Martis fortitudinem, Mercurii prudentiam: Jnnumerabiles aliæ quæ in octavo cælo sunt stellæ, denotant innumerabilia Dei dona, & auxilia singularia crebrasq; illuminationes, & inspirationes, quibus hominem DEUS subinde movet, ac promovet, à malo liberat, & in bono confirmat.

Reliquis tribus diebus generata sunt tria genera animalium, pisces, aves, & terrestres animantes, quibus figurantur juxta Pererium tria genera, seu tres gradus Iustorum, qui in Ecclesia Christi versantur, sed etiã illis bene figurari possunt

sunt tria genera, seu tres gradꝯ novitiorum, qui in Religionibus reperiri solent. Quidam enim novitii solent esse imperfectissimi, etiam in Religione vitam agentes sæcularem, negotiis curisq; sæcularibus implicati similes nempe piscibus qui in aquas demersi vitam degunt. Hi tamen, quia sensum, motum, & vitam habent, id est rectam fidem, sinceram charitatem, & aliqua bona opera; sunt Dei animalia. Alii sunt velut terrestres animantes, qui licet in Religione viventes, non omnino, nec absolute à terra separati sunt, vitam tamen non agunt terrenam, sed spiritualem, virtutum præstantiâ, & excellentium operum copiâ cæteris præcellentes, quemadmodum terrestres animantes perfectione sensus, vitæ ac motus, piscibus antecellunt. Deniq; nonnulli novitii sunt absolutissimæ virtutis, ac Sanctitatis viri (qualis fuit Sanctus Stanislaus Kostka novitius Societatis JESU] qui contemptis rebus terrenis, omnibusq; mundanarū rerum curis, atq; cogitationibus abjectis, totos se Dei cultui, obsequio & servitio dicârunt, tanquam aves ad subli-

mia evolantes; quorum ſcilicet converſatio in cælis eſt, & mens animusq; in Divinarum rerum meditatione perpetuò verſatur.

Poſt cæteras animantes, ultimo loco creatus eſt homo, ad imaginem DEI, oportet enim novitium tamdiu in frangendis cupiditatibus, ſedandis perturbationibus, frænandis; appetitionibus, deniq; in omnium virtutum officiis colendis tractandisq; perſeveranter verſari, quoad totus evadat rationalis intellectualis; & imago DEI, quam *flagitiis* deformaverat, atq; obſcuraverat, ad ſimilitudinem ejus, cum qua DEUS ab initio eum creaverat, reformetur atq; renovetur.

Ex dictis patet; quomodo inſtrui, educari & informari poſſit novitius: licèt autem DEUS Optimus Maximus in creatione mundi & omnium operum ſuorum conſumpſerit ſex dies; tamen Magiſter in creatione ſeu ædificatione novitii (qui eſt quidam mundus parvus) poteſt imponere plures dies ac menſes; imò totum annum: DEUS enim mundum hunc magnum creavit modò & virtute

virtute Divina, Magiſter autem debet in ſenſu morali creare novitium, modô, & virtute humanâ. Sufficit igitur ad obligationem Magiſtri, ut primo v.g. menſe perficiat in novitio lumen intellectuale, vi cujus novitius cognoſcat ſtatum ſuum præteritum eſſe miſerrimum, & quodnam ſit bonum ſibi Sequendum, quod autem malum fugiendum? Secundô menſe ſufficit ad obligationem Magiſtri ut perficiat novitium ſecundum affectum & voluntatem utq; in illo efficiat diviſionem amoris, vi cujus ille ſpiritu concupiſcat cæleſtia, ſicut antea ſenſu concupivit terrena. Tertiô menſe ſufficit, quatenus in novitio efficiat, ut concupiſcentiæ carnali ſupereminеat, nec tantùm illi reſiſtat, ſed carnem etiam cogat ſervire ſpiritui. Quarto menſe ſufficit ad obligationem Magiſtri, ut poſt purgatum animum illius à concupiſcentiis terrenis, inſtruat ipſum, & diſponat ad impetranda dona ſupernaturalia DEI quibus voluntas ipſius illuminetur, exornetur, ac decoretur. Reliquis autem menſibus totius anni perficiat cætera in novitio, ut ille

evadat rationalis, intellectualis, & vera imago DEI.

§ II.

Proponitur doctrina Sancti Bernardi quomodò sint instruendi novitii.

Sanctus Bernardus in Epistola ad Fratres de monte DEI scribens talem doctrinam de instruendis novitiis tradit. *Deindè docendus est animalis incipiens & Christi tyrunculus DEO appropinquare, ut & DEUS appropinquet illi. Sic namque admonet Propheta: Appropinquate DEO, & ipse appropinquabit vobis. Non solum enim faciendus est homo & formandus sed & vivificandus. Primò enim formavit DEUS hominem, deinde inspiravit in eum spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Formatio hominis institutio est moralis; vita ejus, amor DEI. Hunc fides concipit, spes parturit, charitas format & vivificat. Amor enim DEI vel amor DEUS spiritus Sanctus, amori hominis*

minis ſe infundens, afficit eum ſibi. Et amans ſemet ipſum de homine DEUS, ſecum unum efficit & ſpiritum ejus, & amorem ejus, ſicut enim non habet corpus unde vivat, niſi de ſpiritu ſuo, ſic affectus hominis (qui amor dicitur) non vivit hoc eſt non amat Deum, niſi de ſpiritu ſancto. Amorem ergo Dei in homine ex gratia genitum, lactat lectio, meditatio paſcit, oratio confortat, illuminat. Animali verò & novo in Chriſto homini, ad exercitanda ejus interiora, melius & tutiꝰ proponuntur legenda & meditanda Redemptoris noſtri exteriora: & oſtenditur in eis exemplum humilitatis, provocatio charitatis, & affectus pietatis: & de ſcripturis ſanctis & Sanctorum tractatibus Patrum moralia quæq; & planiora. Proponenda ſunt ei geſta & Paſſiones Sanctorum, ubi nec laborandum ei ſit in planitie hiſtoriali: & ſemper aliquid occurrat, quod novitii animum excitet ad amorem Dei & contemptum ſui. Porro aliæ hiſtoriæ delectant quidem cum leguntur, ſed non ædificant, quin potius mentem inficiunt: & in tempore orationis vel ſpiritualis meditationis, inutilia quæq; vel

noxia faciunt scaturire de memoria. Lectionis quippe modum, similis meditatio sequi solet. Difficilium etiam lectio scripturarum, fatigat non reficit teneriorem animum: frangit intentionem, hebetat sensum & ingenium. Docendus est etiam in oratione sua sursum cor levare, spiritualiter orare, à Corporibus vel corporum imaginibus, cum Deum cogitat, quantum potest recedere. Admonendus est, quanta potest puritate cordis intendere in eum, cui sacrificium orationis suæ offert, seipsum attendere qui offert, intelligere quod offert. Quantùm enim videt vel intelligit, eum cui offert, tantùm ei in affectu est, & ei amor ipse est intellectus. Quantumq; ipse ei in affectu est, tantùm sapit ei hoc ipsum, si dignum Deo est quod offert, & in eo sibi benè est. Hujusmodi homini oranti vel meditanti melius ac tutius (sicut jam dictum est) proponitur imago Dominicæ Nativitatis, Passionis & Resurrectionis: ut infirmus animus, qui non novit cogitare, nisi corpora & corporalia, habeat aliquid, cui se afficiat, cui juxta modum suum pietatis intuitu inhæreat.

Jnniten-

Jnnitendo ergo huic doctrinæ Sancti Bernardi, primò curet Magiſter & doceat novitium, quomodo poſſit appropinquare Deo, & quomodo poſſit DEUS appropinquari illi. Secundò curet, ex Novitio facere hominem rationalem ac Religioſum, ac tandem illũ vivificet; formet inquam illum per inſtitutionem moralem tradendo ei omnia præcepta vitæ Religioſæ, vivificet autem per amorem DEI. Tertiò ad exercitanda ejusdem novitii interiora, proponat ei legenda & meditanda Redemptoris noſtri exteriora. Quartò de ſcripturis ſacris & Sanctorum voluminibus proponat ei, ea quæ ſunt faciliora, & captui humano magis convenientia. Quintò proponat ei geſta & paſsiones Sanctorum, quomodò illi pro Chriſto laborarunt, quomodo paſſi ſunt, & qualiter in hac ipſa Religione vixerunt. Sextò doceat eundem novitium exercitium orationis mentalis & vocalis, & quanta puritate debeat intendere ſacrificio orationis, ſic denique eundem novitium inſtruat, ut ex illo faciat novum hominem & novam creaturã in Chriſto.

 § III.

§ III.

Quid specialiter ante oculos debeat habere Magister, in docendo & instruendo perfectè novitio?

Multa sunt, quæ in docendo & instruendo novitio debeat respicere Magister, tanquam specula quædam, sed specialiter debet respicere Regulam, & Constitutiones ordinis sui. Et quia regula ordinis nostri, est Sancti Augustini, ideo, sequendo contextum & obloquentiam ejus, primario & ante omnia instruat magister novitium, in exercenda charitate erga Deum & proximum, juxta illud Regulæ punctum. *Ante omnia Fratres charissimi diligatur DEUS deinde proximus:* quia ut ait Sanctus Augustinus Tracta: 5 in Epistol; Joan: *Dilectio sola discernit inter filios Dei & filios Diaboli: Signent se omnes signo Crucis Christi, respondeant omnes Amen; cantent omnes Alleluia: baptizentur omnes, intrent*

Ecclesias,

Ecclesias, faciant parietes basilicarum, non discernuntur filii Dei, à filiis Diaboli, nisi charitate, qui habent charitatem, nati sunt ex DEO.

Secundò statim ab initio vocationis instruat novitium ut se in unitate & concordia inter alios novitios exerceat, juxta illud Regulæ: *Primùm propter quod in unum estis congregati ut unanimes habitetis in domo, & sit vobis anima una, & cor unum in Domino.* Et hoc ipsum inculcat Apostolus ad Ephesios quarto. *Solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis.*

Tertiò instruat eundem novitium in voto substantiali paupertatis, quid sit? quænam sit ejus obligatio effectus & proprietates? Si enim novitius nesciet naturam, obligationem, statum, effectū, & proprietates voti paupertatis, facile in crimen proprietatis cadet, etiam post vota emissa, præsente autem corrupto sæculo planè nihil frequentius peccatur, quàm contra votum paupertatis, *omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ JESU Chisti,* quod specialiter ibi accidere solet, ubi ex abusu intro-

ducto, distribuitur certa pars peculii inter Religiosos, pro comparandis necessariis. Et hanc instructionem in voto paupertatis demandat Regula dum inquit. *Nec dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia: & distribuatur unicuiq; vestrum, à Præposito suo victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius unicuiq; sicut cuiq; opus fuerit. Sic enim legitis in actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia & distribuebatur unicuiq; sicut cuiq; opus fuerat.*

Quartò instruat novitium in exercendo votò Castitatis, & doceat quod illud, non solum ipso actu, sed etiam ipso affectu vel aspectu & cogitationibus immundis deliberatè admissis violatur, juxta Regulæ textum ubi dicitur. *Oculi vestri & si jaciantur in aliquam fæminarum, in nullam figantur. Neque enim quando proceditis, fæminas videre prohibemini; sed appetere, & ab eis appeti velle, criminosum est. Nec solo tacito affectu, sed affectu & aspectu quoq; appetitur, & appetit concupiscentia fæminarum. Nec*

dicatis

dicatis vos habere animos pudicos ſi habetis oculos impudicos: quia impudicus oculos impudici cordis eſt nuntius. Et cum ſe invicem ſibimet etiam tacente linguâ conſpectu mutuo corda nuntiant impudica, & ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus.

Quintò inſtruat novitium in exercendo voto Obedientiæ: juxta illud Regulæ: *Præpoſito tanquam Patri obediatur, multo magis* Præsbytero, *qui omnium veſtrum curam gerit.* Porro non ſufficit ſimpliciter obedire, ſed requiritur ut obediatur promptè, hilariter, velociter, ſine contentionibus, murmurationibus, litigiis, & ſiniſtris tergiverſationibus, & ſecluſa omnis diſcretionis, vel propriæ voluntatis ſpecie, aut quocunq; prætextu vel colore. Verbo loquendo debet exercere Magiſter novitium in profectu obedientiæ cæcæ: quam ut facilius exequatur novitius, ad Magiſtrum pertinebit docere ſuos diſcipulos, quid ſit odedientia cæca! quanta ſit illius præſtantia, honor, & præmia?

Sextò

Sextò instruat & præcaveat novitium ut non de Parentum divitum nobilitate, præstantia, antiquitate, sed potius de communi vita & consortio Fratrum glorietur, juxta illud Regulæ: *Magis autem studeant non de Parentum divitum dignitate, sed de pauperum Fratrum Societate gloriari.*

Septimò instruat eundem novitium, ut non tunc insistat devotioni orationibus, meditationibus, & aliis piis exercitiis, quando ipsi placuerit, sed tunc quando exposcit usus, Ordo, consvetudo, & statutum tempus à Religione, juxta illud Regulæ: *Orationibus instate horis & temporibus constitutis. Qui enim horas & tempora constituta non observat in orando, hic communem ordinem impedit & magis voluntatem suam quàm devotionem perficit.*

Octavò instruat novitium quomodò debeat mortificationi corporis, sensuum, passionum, & primorum motuum insistere, juxta illud Regulæ: *Carnem vestram domate jejuniis, abstinentia escæ & potus quantùm valetudo permittit.*

Nonò instruat, ipsũ ut cũ vestibus

ſæcularibus exuat complacentiam, in pretioſo ornatu, & omnibus ſuperfluis: juxta illud Regulæ? *non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus.*

Decimò inſtruat novitium, quomodo debeat cum aliis ambulare, quomodo & quando debeat ſtáre, quomodo ſe debeat gerere, in geſtu capitis manuum pedum & motibus totius corporis, ad internam enim renovationem hominis, multum prodeſt externa compoſitio ejusdem: aliqui enim ſuperbè faſtuosè & nimium elatis oculis caput geſtant, alii manus etiam ſine neceſſitate continuo pervertunt, illisq; fruſtra àérem verberant, alii motum pedum nimis velocem, alii nimis tardum obſervant, totum deniq; corpus in progrediendo ita præſeferunt, ut per hoc quandam Majeſtatem, auctoritatem, pompam, & æſtimationem, ſibi conciliare veſint. Ex hoc autē procedendi modo multorum aſpectum offendunt & eorum gratiam lædunt. Ut ergo novitius quo ad omnia non tantùm in anima, ſed etiam in corpore ſit compoſitus,

Magi-

Magistri est officium, his omnibus attendere.

Sed quia singula Regulæ puncta, in quibus Magister debet instruere novitium, enumerare non vacat, ideo hic ab illis referendis supersedeo Sufficiat hoc scire Magistro, quòd in omnibus illis, quæ continentur in Regula, debeat informare, erudire, perficere, ac instruere novitium.

Post instructionem contentorum in Regula, debet procedere Magister ad constitutiones, statuta, & consvetudines Ordinis; in illisq; singulis novitium informare tenetur. Specialiter autem illas Constitutiones debet illi repræsentare, inculcare & imprimere, quæ procedunt de voto paupertatis, fugiendaq; proprietate: item de voto castitatis & fugienda conversatione cum mulieribus: tandem de voto obedientiæ & aliis principalioribus. Præterea statim ab initio debet eum instruere, quinam sint casus reservati in Religione. Porro juxta Bullam Sixti V Pontificis Maximi approbativā Constitutionū Ordinis nostri, comprehenduntur in casibus

bus reſervatis in Ordine noſtro, ſequentes: videlicet *Apoſtatæ, habentes proprium, ſeditionem excitantes, ſuſurrantes ſaltem coram tribus contra Conſtitutiones, & præcepta Superiorū; audientes confeſſiones aliorum Fratrum abſq; facultate, ebrii, ſive ebrioſi ſcandalosè, alentes atq; foventes pueros, alloquentes mulieres abſq; licentia, & exeuntes domô vel Conventu abſq; conſenſu Superioris.*

Ultra notitiam caſuum reſervatorum ſuæ Religioni propriorum debet inſtruere Magiſter novitium circa caſus reſervatos omnibus Religionibus communes. Porro caſus reſervati, omnibus communes, ex Decreto Clementis VIII. Pontificis Maximi ſunt ſequentes.

1mo: Veneficia, incantationes, ſortilegia. 2do: Apoſtaſia à Religione ſive habitu dimiſsô, ſive retentô: quando eò pervenerit, ut extra ſepta monaſterii, ſive conventûs fiat. 3tio: Nocturna ac furtiva è Monaſterio ſive Conventu egreſſio, etiam non animô apoſtatandi facta. 4to: Proprietas contra votum Paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. 5to: Juramentum falſum in judicio regulari ſeu legitimo.

6to

6to: Procuratio, auxilium, seu consilium, ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secutô. 7mo Falsificatio sigilli áut manûs officialium Monasterii, aut Conventûs. 8vo: Furtum de rebus Monasterii aut Conventûs in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9no Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10mo Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscunq; personæ. 11mo Malitiosum impedimentum aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad Inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Ultra casus reservatos debet etiam Magister instruere novitium de Decretis Summorum Pontificum ad reformationem Regularium editis: & tale Decretum est primò Clementis VIII de largitione munerum unà cum Ejus confirmatione facta ab Urbano VIII. Secundò est Decretum sacræ Congregationis Concilii de celebratione missarum authoritate Urbini VIII editum. Tertiò est decretum ejusdem Urbani VIII de observantia constitutionum Apostolicarum, ac Decretorum pertinentium,

nentium, ad S. Officium. Quartò, ſunt Decreta ſacræ Congregationis Concilii juſſu Urbani VIII edita, de Regularibus Apoſtatis & ejectis. Quintò, ſunt Decreta Clementis VIII de reformatione Regularium. Sextò ſunt Decreta Clementis VIII de receptione, profeſſione ac inſtitutione novitiorum: quæ omnia & planiſſimè explicat Reverendiſſimus Ioannes Kery, Prior Generalis Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ, ad quem remitto Lectorem; quia præfata Decreta hic referre eſt operoſum.

Tandem breviùs concludendo omnia, doceat Magiſter novitios Alphabetum incipientium, proficientium, & perfectorum, quod Joannes Climacus gradu, 26 de diſcretione hîs terminîs tradit: *Optimum in omnibus ac ſalubre Alphabetum, videlicet obedientia, jejunium, cilicium, cinis, lachrimæ, confeſſio, ſilentium, humilitas, vigiliæ, fortitudo, frigus, labor, ærumna, contemptus, contritio, oblivio illatæ contumeliæ, fraternitatis amor, manſvetudo, fides ſimplex omniq; curioſitate carens, curarum ſæcularium abjectio, amabile Parentum odium,*

totius

totius rei mortalis repudiatio, simplicitas innocentiæ conjuncta, spontanea vilitas. Porro finis proficientium ac ratio ista est, inanis gloriæ & iracundiæ vacuatio facilis meliorum spes, quies, discretio, judicii fixa & solida memoria, misericordia, hospitalitas, modestia, correptio omni perturbatione libera, avaritiæ repudiatio. Eorum verò spirituum & corporum, quæ religiosè ac piè in Deo consummantur hic finis, hæc ratio, & lex est. Cor captivatione superius, consummata & perfecta charitas, humilitatis fons, mentis peregrinatio, Christi inhabitatio, lucis & orationis inviolabilis thesaurus, divinæ illustrationis copia, mortis desiderium, odium vitæ, fuga temporis, mundi intercessor, Deo vim inferens, Angelorum in ministrando socius, scientiæ abyssus, mysteriorum domus, arcanorum custos, hominum salvator, dæmonum DEUS, vitiorum Dominus, dominatar corporis, naturæ procurator, peccato extraneus, beatæ tranquillitatis domicilium, imitator Domini per auxilium Domini. Hoc ergo Alphabetum si doceat Magister suos novitios & in præfatis omnibus virtutibus

eos

eos ita practicè instruat, ut illarum naturam, qualitates, excellentiam, amorem, & sublimitatem assequantur, puto satis fore ad officium Magistri. Reliqua quæ hic dici possent, colligi poterunt ex dicendis Parte 3tia; ibi enim trademus, in quo se ipsos debent exercere ac probare novitii? porro in quo se debent exercere novitii, in eo debet ipsos instruere Magister. Tandem sicut quilibet homo, ita quilibet novitius constat Corpore & animâ tanquam partibûs essentialibûs compositi substantialis Physici: quidquid ergo pertinet ad bonum ordinem, statum, & compositionem Corporis, & quidquid pertinet ad bonum ordinem, statum & regimen animæ, in his omnibus absolutè sine ulla exceptione tenetur Magister instruere novitium: sicut enim DEUS Optimus Maximus in sensu reali & Physico ex anima & Corpore de nihilo suo extractis creavit hominem: ita Magister ex eadem anima & corpore debet in sensu morali creare novitium, ut jam supra diximus. Oret ergo DEUM Optimum Maximum, ut quæ nos

hic ad instructionem novitiorum necessaria, intermisimus, Jlle ipsi ex alto conferat & misericorditer largiatur.

CAPUT VII.

In quo proponitur norma seu exemplar munerum, officiorum, & qualitatum ipsius Magistri novitiorum, seu quid pertineat ad Magistrum novitiorum & quibus qualitatibus præditus esse debeat?

Plurima sunt officia, munera & qualitates ad Magistrum novitiorum spectantes, proinde de his omnibus aliquot Paragraphis tractabimus.

§ I.

In quo proponitur exemplar officiorum & munerum ad Magistrũ novitiorum spectantium.

Ex allata hactenus doctrina, quilibet Magister informari potest quomodo

suos

suos novitos probare ac instruere debeat, cæterùm ut plenius hac in parte loquamur, adhuc compendiosè adferemus hîc nonnulla officia & munera, ad prædictum Magistrum spectantia.

Primum ita Magistri novitiorum officium & munus est, quod primus ante omnes suos novitios surgere à somno debeat. Hujus tam matututinæ surrectionis, necessitas est multiplex. *1ma* ut videat si omnes novitii in suis cellis dormierint. *2da* ut novitios matutina sua surrectione, excitet ad surgendum velociter. *3tia* ut videre possit quô animò, qua alacritate & fronte surgant sui novitii. *4ta* ut debitus ordo in cæteris muniis obeundis servetur. Magister itaq; novitiorum debet esse tanquam aurora matutina: hæc prima ante omnia sidera surgit quotidie, & soli novo prælucet ad futurum diem, ita & Magister novitiorum debet se gerere: primus ante omnia Religionis sidera à somno desistere & his omnibus ad omne bonum prælucere tenetur, ut tandem aliquando serenam claramq; accendant diem.

Secundum muns Magistri novitiorum est, quod ultimus debeat quiescere, cujus ipsius multiplex necessitas est. *1ma* ut videat si omnes novitii contulerunt se in proprias cellas ad dormiendum. *2da* ut postquam se contulerint ad cellas, videat si juxta statuta ordinis servent silentium. *3tia* ut videat & sciat, quàm citò sui novitii contulerunt se ad quiescendum. *4ta* ut advertat si hi & illi postquam se contulerint ad cellas, non discurrant iterum huc & illuc: multi enim cum vident Magistrum novitiorum, se modestissimè componunt, ad cellas se conferunt, dormitum abeunt, in silentio aliquantulùm quiescunt, tamen postquam adverterint Magistrũ suum quiescere, ad sua lenocinia surgunt, proprias cellas deserunt, ad alios discurrunt, quiescentes perturbant, & multa alia inconvenientia perpetrant? Quare ut Magister novitiorum his occurrat, ultimus debet quiescere. *5ta necessitas* est ut Magister novitiorum videat, si aliquis tentator, in persona Dæmonis non veniet ad tentandum aliquem ex novitiis, ut Re-

ligionem

ligionem deſerat, habitum deponat, & inchoatum annum probationis abjiciat. Nox enim, eſt tempus illud in quo tranſeunt omnes beſtiæ ſylvæ, in quo fures merces alienas auferunt, latrones prædantur, raptores vim inferunt, cæteraq; malitioſorum hominum turba, ſua ſcelera exequitur; proinde ne aliquis fur cuicunq; ex novitiis pretioſam vocationis mercem auferat, ne aliquis latro prædari ſancta propoſita intendat, vel tandem inſperatus raptor audeat vim inferre piis deſideriis, diligenter vigilandum eſt, & ultimatò poſt omnes quieſcendum. *6ta neceſſitas eſt* ut Magiſter novitiorum ultimus quieſcat eſt interna & externa ſecuritas, dum enim ipſe ultimo quieſcit, notum habet de omnibus, quando, quomodo & qualiter ſe compoſuerint ad quieſcendum, & ſic de nullo ex illis timet ne cadat in laqueum Diaboli, de nullo ſuſpicionem habet utrum ſit præſens nunc in monaſterio? conſequenter tam intra, quàm extra ſecurus evadit.

Tertium munus Magiſtri novitiorum eſt, quòd in omni loco, nempe in

Ecclesia Choro, Refectorio, Dormitorio, Porta, oratorio & in omni recreatione debeat illis esse præsens, sive per se sive per alium: ad Magistrum enim novitiorum pertinet instruere novitios, quomodo se gerere debeant in Ecclesia, Choro, Dormitorio, Refectorio, Porta, Oratorio, recreatione, cæterisq; aliis locis; proinde ut hanc instructionem sufficienter illis præbeat, necessarium est ut in omnibns dictis locis ipsis assistat, eos comitetur, & continuo se præsentem exhibeat. O quam multi ex sæculo ad Religionem veniunt, qui superbè leviterq; orare, voraciter & barbare comedere, morosè dormire, stulte incedere impudicè recreari didicerunt, & frequenter dum jam statum Religiosum arripuerunt, eandem morosam, turpem & barbaram consvetudinem retinere volunt, ad hæc omnia diligenter debet advertere Magister novitiorum, & sic quemlibit ex illis instruere, ut humiliter orent, modestè se reficiant, pudicè dormiant, honestè recreentur. Quis numerabit quot animæ perierunt? quot viri Sancta sua proposita deseruerunt;

runt; quibus in Portæ receptaculis, absq; Magistri assistentia loqui, discurrere, & conversari indultum est! Quando invitabantur ad Portam, erant fervidi, modesti, compositi, & omnimodè ex vita Religiosa contenti, postquàm verò soli ad portam iverunt, postquàm soli cum sæcularibus conversati sunt, redierunt frigidi, laxi, & in statu Religioso displicentes, quousq; soli non conversabantur in Porta, nullas tentationes senserunt, non nutabant in spiritu, non torquebantur ullis anxietatibus, postquã autem illis concessa est solitaria conversatio, non habent quietem ab insultibus tentationum; continuò illis repræsentantur illa objecta, cum quibus loquebantur, redeunt personæ in mentem, cum quibus laxè aut saltem liberè discurrebant; ex hac autem variorum repræsentatione objectorum consurgunt futiles apprehensiones, excitantur species præteritorum negotiorum, & sic mentem miserorum novitiorum occupant, ut non possint facilè ac devotè suis insistere muneribus, sed ad hæc fervidè aspirant quæ imprudenter ex solitaria conversa-

tione apprehendunt. Quid dicam de recreationibus sine Magistri præsentia habitis: in his frequentissimè perditur, quidquid præsente Magistro acquiritur. Parum est quod virtutes & perfectiones acquisitæ perdantur, etiam nova scelera & nefanda crimina sæpissimè perpetrantur. Non adfero hic quanta vidi fieri inconvenientia in prædictis recreationibus sine præsentia Magistri concessis: quia illa & nominare erubesco & indigna censeso, ut hic referantur, cæterùm ex parte mea (quantum expertus sum) optarem singulis Magistris novitiorum, ut suos discipulos nunquam solos pro recreationibus mittant, sed quandocunq; volunt distractionis causâ concedere illis hanc gratiam, semper eis assistant, eos comitentur, & nec uno gradu ab illis recedant. Sicut ibi raro evenire solet sine clade, ubi milites circumcirca hostibus septi, ad distractionem, vel quietem capiendam sine Duce excurrunt; ita ibi rarissime contingit sine casu peccati, ubi novitii hostibꝰ invisibilibus undequaq; obsessi sine magistro suo ad recreandum exeunt. Non dormit tentator noster, non dor-

miunt hostes nostri dum nos recreamur, illi invigilant; ex occasione recreationis majores & majores ad exhilarandum modos porrigunt, in ipsaq; hilaritatis abundantia, mortiferum aliquid suggerunt, tandem ex amore ulterioris hilaritatis capiendæ, etiam ad Deum offendendum inducunt. O infelix talis recreatio quæ Christum offensum contristatur: O detestanda talis distractio quæ hominem a Deo distrahit & infinitè separat. Ut ergo & hilaritatis abundantia temperetur, & debitus ordo recreandi servetur, Magister novitiorum sit his omnibus præsens, vel saltem à longè prospiciat. Nunquam autem ita à suis removeatur novitiis, ut eorum actus spectare non possit. Fateor quidem in aliquibus sanctis Religionibus esse ita piam & felicem institutionem novitiorũ, ut etiamsi illi mittantur sine Magistri assistentia ad recreandum, tamen se modestè & religiosè gerant. Sed quia in aliis multis Religionibus contrarium aliquando evenisse legimus, ideo melius est prævenire & occurrere peccati periculo etiam remoto, quàm illi se exponere.

Quar-

Quartum munus seu officium Magistri novitiorum est, ut toto illo tempore quo novitii incellis suis morantur, custodiat hoc, quatenus libris spiritualibus incumbant, lectioni Sanctornm Patrum, Ascetarum aliorumq; piorum virorum insistant. Quod Professor in schola, Doctor in Cathedra, hoc Magister in suo novitiatu; ad eum spectat vitæ regularis lectionem tradere, prima rudimenta Religiosæ observantiæ proponere, & alia his similia remonstrare, ut jam supra diximus; quare nè in cassum hanc lectionem tradat, attendere debet ut ejus discipuli non fabulis, sed lectioni librorum spiritualium se applicent: si quos autem viderit in hoc pio & sancto studio negligentes, tepidos, aut resistentes, talibus ipse librum & quantitatem lectionis assignet, tempus ad perlegendum determinet, quod cum elapsum fuerit inquirat quid? quantum? & cum quo fructu animæ legerunt? imò ut omnes æqualiter tractet, omnibus prædictam lectionem & tempus legendi metiatur, & tandem, ex omnibus simul rationem tam pii laboris exigat. Hujus dili-

diligentiæ circa novitios exhibendæ eſt multiplex utilitas. *1ma:* eſt ſubtractio occaſionis ad otiandum & confabulandum. *2da:* eſt ſubtractio coloris ſeu prætextus diſcurrendi huc & illuc. *3tia:* eſt debita obſervatio ſilentii juxta Conſtitutiones Religionis impoſiti. *4ta.* utilitas eſt hæc quòd novitii continuò libris ſpiritualibus incumbentes, firmentur in ſpiritu, accendantur in devotione, & omnem vitæ regularis formam, per continuum in lectione ſpirituali exercitium acquirant. Quod ſi autem non alliciantur nec alligentur novitii ad prædictam continuam librorum ſpiritualium lectionem, tunc per hoc ipsū, datur eis campus divagandi per cellas & dormitoria, excurrendi ad culinam, hortum, refectorium, & alia ſimilia loca minimè utilia, cui divagationi ſi tempore novitiatus aſſveſcant, ſemper taliter divagari volent, & licet poſtmodum coercebuntur ab aliquo, ut dictam divagationē relinquant, non ſtatim ab hoc vitio retrahentur. Itaq; devote novitiorum Magiſter, principiis obſta, ſerò medicina paratur, ſtatim ab exordio proba-

probationis continere & concludere studeas tuos discipulos in cella, ut nullibi extra suum limen exeant, sic enim constricti, & piâ charitatis disciplinâ conclusi, si non otientur, non fabulentur, non puerilibus lenociniis vacent, sed continuo piorum librorum lectioni incumbant, confidendum sperandumq; in Deo, quòd vocationem inchoatam perficient, ac spiritum suum per spatia imaginatoria dispersum colligent, soliq; Deo contemplando affigentur;

§ II.

In quo proponitur exemplar quantæ perfectionis debeat esse Magister novitiorum

Quoniam quilibet novitiorum Magister, est simul quodammodo architectus perfectionis in moribus novitiorum fundandæ, ædificandæ, & stabiliendæ, ideo ut hanc perfectionē legitimè fundare, tutè ædificare, prudenter stabilire possit, utilissimū est, ut sciat quantæ perfe-

perfectionis esse debeat. Prædictus itaq; Magister novitiorum, præsertim in Religionibus ab Institutione Apostolica immediate descendentibus. *imo debet esse vir Apostolicus & plenus spiritu Apostolico:* hoc est debet esse præditus Paupertate, obedientia, & Castitate Apostolica, debet in omnibus præferre charitatem, fidem, spem, patientiam & humilitatem Apostolicam, verbô concludo, debet in illo relucere virtus, pietas, & sanctitas Apostolica. Institutum Monasticũ ad erudiendos suos novitios, non alium admittit Magistrum, nisi virum monasticum seu perfectione monasticà plene instructum: Similiter institutum eremiticum non alium patitur Instructorem nisi virum eremiticum, solitudini, contemplationi, eremoq; totaliter deditum: tandem status militaris ad erudiendos belli expeditionibus Tyrones, neminem eligit nisi virum militaribus articulis & stratagematibus insignem: eâdem per omnia ratione & modo, Religio Apostolica ex sua natura & professione requirit pro Magistro novitiorum, virum Apostolicum.

2do Magister novitiorum debet esse plene mortificatus in omnibus passionibus, præsertim iræ gravis, impetuositatis, & furoris subiti, homines etiam sæculares deformantis. Ira enim & impetuosus furor plerumq; hominem extra se rapit, & sui ipsius facit oblivisci, ad dura, barbara & scommatica verba provocat, & multorum aliorum inconvenientium periculo exponit quorum si eveniat aliquid ex occasione iræ præsentibus novitiis, hi utpote pusillanimes scandalizantur, vel si dura verba nunquam audierunt, animo dejiciuntur.

3tiò quilibet novitiorum Magister debet esse perfectè verè ac sincerè charitativus, id est omnes & singulos suos novitios debet sincereâ charitate prosequi; in hac autem ipsa charitate debet servare istum modum, ut omnes æqualiter amet, vel si amabit aliquos magis præ aliis, propter majores illorum virtutes, non ostendat ad extra hanc inæqualitatem amoris; sed intra plus amet: unde si hunc, quem minus intra amat, arguit vel punit pro aliquo defectu,

etiam

etiam quem plus amat, ſi deliquerit, pariter arguat & puniat: ſi parcit illi quem plus amat, etiam pariter parcat illi, quem minus amát. Ratio hujus fundamentalis eſt hæc: quia Magiſter novitiorum omni conatu debet ſatagere, ut inter novitios ſubtrahat occaſiones invidiæ, contentionum, æmulationis, & rixarum, ſi autem hos plus illos minus amabit, non tam ſubtrahet, quam ſubminiſtrabit materiam prædictorum omnium inconvenientium; proinde ne videatur ſubminiſtrare, omnes & ſingulos etiam Regiæ, ſenatoriæ vel Ducalis Proſapiæ filios, æqualiter amet, æqualiter moneat, æqualiter corrigat, æqualiter exhortetur, æqualiter laboribus & oneribus applicet, niſi forte aliqua vera infirmitas, vel alia circumſtantia legitima excuſaverit. Licet verò aliquos novitios præſertim è Magnis Parentibus & Familiis natos, poſſit aliquando excuſare à ferendis æqualiter oneribus, delicata conſtitutio corporis, tamen ab exercitiis, humilitatis, & aliorum ſimilium nullatenus poteſt excuſare, quia ad humiliandum ſe, non corporis fortitudo,

titudo, sed animi requiritur submissio, & sui ipsius nulla æstimatio. Unde licet v.g. possint aliquando dispensari à Choro noctorno, non tamen ab illo officio, quod ex se parvum quidem & leve est, magnam tamen exigit humilitatem. Quare talibus non est concedendus locus ante alios antiquiores novitios, multò magis ante Professos, sed in ultimo loco secundùm suam vocationem sedeant; qui enim ad Religionem suscipiendam candidô animô venit, ille humiliari, contemni, & vilipendi venit, non honorari, proinde si tali priorem ex vano familiæ respectu concedamus locum, impedimus eum ab hoc bono consequendo, quia eum honoramꝰ, licet ille humiliari venerit, ipsiq; eum docemus superbiam, qui ad nos humilitatis addiscendi gratia sese contulit.

4to Magister novitiorum debet esse patiens, quia non ad solos novitios nec ad solos quoscunque subditos, sed ad omnes in communi dictum est: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Unde Magister novitiorum, non semper debet suam injuriam vel afflictionem

rigorosè

rigorosè vindicare, ſed pro temporis, loci & perſonarũ circumſtantia cum charitate pati, quidquid adverſi vel moleſti contigerit. DEUS noſter Optimus maximus poſſet unô momentô & inſtanti, omnes illos conterere & abſolutè annihilare, qui ejus voluntati contravenium, præcepta ejus frangunt, vel in contemptum eorum agunt, tamen etiam ſuper hos patientiam benignitatemq; ſuam manifeſtat, tolerat ad tempus eorum malitiam, expectat pænitentiam donec revertantur; in hac patientia debent Magiſtri novitiorum imo omnes ſuperiores, imitari Deum optimum Maximum. Uunde licet cum charitate poſſint hunc & illum de gremio ſuo reſpuere, punire, & ſerio excludere, tamen aliquando conſultis prudentiæ legibus, patiendum eſt vel intermittendum.

5to Magiſter novitiorum debet eſſe compatiens, hoc eſt ſi veniat aliqua ſupra ſuos novitios afflictio, infirmitas, vel dolor corporis aut ſpiritûs, tunc debet illis compati & condolere, ſeu pati cum patientibus, dolere cum

dolentibus, infirmari cum infirmantibus, triſtari cum triſtantibus. Hoc faciebat Apoſtolus ut de ſe ipſo teſtatur dum inquit: *Factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer, iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem cum ipſe non eſſem ſub lege, ut eos qui ſub lege erant lucrifacerem: iis qui ſine lege erant tanquam ſine lege eſſem cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti, ut lucrifacerem eos, qui ſine lege erant. Factus ſum infirmus, ut infirmos lucrifacerem, omnibus omnia factus ſum ut omnes facerem ſalvos.* Hanc per omnia formã Apoſtoli, debet induere inſtituti Apoſtolici Magiſter: debet eſſe cum infirmis infirmꝯ, cum debilibꝯ debilis, cũ triſtibus triſtis: verbô: debet omnibus omnia fieri, ut omnes Chriſto lucrifaciat.

6to Magiſter debet eſſe Clemens & ſeverus. ita ut ſeveritatem clementiâ & authoritate officii ſui temperare ſciat, ut in nullo excedat, ſed clementiam ſeveritati ita aptet, ut neq; ſit nimis clemens, neq; nimis ſeverus neq; nimis authoritativus; non debet eſſe

nimis clemens, quia nimia clemetia dissolvit subditos, laxos facit, & multum audaces, hi enim dum vident superiorem nimis clementem, in spem ejus clementiæ multa sibi indulgent, & multa licere putant, non agunt quæ illos concernunt, sed confidentes bonitati ejus plura onera ad se spectantia intermittunt quàm perficiunt, imò quidquid mali, perversi, & inordinati cogitari potest, illud stulte audent, respicientes semper nimiam sui superioris clementiam. Hi ordinariè subalternos superiores contemnunt, admonitiones & præcautiones superiorum subalternorum negligunt, & tandem ita vivunt, ut quo major sit superioris clementia, eo major sit eorum malitia & stultitia. Non debet esse nimis severus & nimis rigidus, quia nimia severitas & rigor, filialem apud subditos dissipat affectum, prædictumq; Magistrum odiosum, ingratum & crudũ reddit. Qui sunt nimis rigidi & severi, ab omnibus timentur, à nemine amantur. Omnes cum illis agunt pulchrè, sed nullus sincerè; nam quilibet eorum rigorem ad oculum

laudat, & intra odit. Ubi nimis rigidus comparet superior, ibi omnes quidem suscipiunt hilariter eundem, sed paulatim successive unus post alterum subducitur, ita ut non habeat cum quo ad finem conversari possit; omnes enim cavent sibi & verentur cum ipso loqui, multo magis conversari, ne ipsis in hac ipsa conversatione, aliquē nimium imponat rigorem.

7mo Magister novitiorum debet esse in omni loco, tempore & circumstantia cautus ut nulli ex novitiis scandalum vel occasionem; scandali præbeat. Porro in Magistro novitiorum imo in quocunque alio Susperiore præcipua & frequentissima scandali occasio est hæc, quando Magister prædictus tradit Regulam, statuta, & consvetudines ordinis remonstrat suis subditis docetq; hoc & illud omnino servandum esse, quia sic Regula & statuta præscribunt, tandem postquam illis hanc doctrinam dederit & ipse videntibus & spectantibus suis subditis contrarium facit, tunc ex talibus factis doctrinæ præfatæ contrariis statim subditi scandalizantur, & connaturaliter

intra

intra se loqui solent: nobis onera importabilia imponit, & ipse digito movere ea non vult, nos jubet hoc & illud facere ideo, quia hoc Constitutiones ordinis præscribunt; ipse vero id quod docet non observat: utiq; & ille non est supra sed infra Constitutiones ordinis? &c: &c: Sive igitur orat, vel meditatur, sive quiescit aut vigilat, sive stat vel incedit, sive manducat vel bibit, sive laborat vel recreatione fruitur, sive aliquid aliud cogitabile facit; continuo circumspectus sit coram quo id facit, si coram novitiis & suis subditis, jam cum majori diligentia id operetur; & caveat ne in aliquo operis puncto scandalum præbeat, Si coram illis ubi nullum scandali periculum adest, tunc potest liberius & securius agere, nunquam tamen ita laxè, ut a debita Regula morum, sine ulla ratione vel urgente necessitate recedat: novitii enim suum Magistrum omnesq; subditi superiorem suum, in omni actione intuentur, & hoc sibi pro regula vivendi accipiunt, quod eum operari vident.

8vo Magister novitiorum debet esse

coutinuo sobrius ita, ut in nullo casu possit se dispensare vel sibi indulgere aliquid in potu ultra mensuram. Quodsi per impossibile aliquado sibi indulserit, absolutè non compareat suis discipulis, verùm se ita in aliquo loco abscondat, ut a nemine eorum videri & sciri possit. Ratio est, quia inebriatio etiam unica multorum inconvenientium & scandalorum solet esse causa, & sic aliquos ad furorem extraordinarium & impetuositatem, aliquos ad perturbandam pacem, alios ad contendendum, alios ad vaniloquia aliaq; innumera absurda provocat, unum autem ex his absurdum, in actuali inebriatione præsentibûs novitiîs committere, satis grande piaculum est. Dum Sanctus Paulus daret præcepta & instructionem sancto Thimotheo Discipulo suo, nimirum ut prædicet verbum, instet opportunè, importunè, ut arguat obsceret, increpet in omni patientia & doctrina, ut vigilet in omnibus laboret, ut opus faciat Evangelistæ & ministerium suum impleat: tandem subjungit expresse dicens ad Thimotheum. *Sobrius esto.* Quicunq; ergo Magistri

munere

munere inquacunq; Religione Apostilica fungeris, utor ad te verbis Apostoli. *Testificor coram Deo & Christo JEsU, qui judicaturus est vivos & mortuos per adventum ipsius & Regum ejus; prædica verbum, insta opportune, importune, argue obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus. Et a veritare quidem auditum avertent; ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila in omnibus, labora, opus fac Evangelistæ (seu Magisteri) ministerium tuum imple.* Tandem ad hæc omnia specialiter hanc etiam clausulam addo: *sobrius esto.*

9no Tandem Magister novitiorum debet habere omnes qualitates illas, quas in Regula sua injungit S. Augustinus cuilibet superiori dum inquit: Ipse vero qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem. Honore coram vobis Prælatus sit, vobis, timore coram Deo, substratus sit pedibus vestris, circa omnes se ipsum bonorum operum præbeat exemplum.

Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes sustineat infirmos, patiens sit ad omnes disciplinam libens habeat, metuendus imponat: & quamvis utrumq; sit necessarium, tamen à vobis plus amari appetat quam timeri semper cogitans Deo se pro vobis redditurum rationem. Quidquid ergo in hac Regula præscribitur ad rationem boni superioris, id omnino requiritur ad rationem boni Magistri, siquidem hic est superior respectu suorum novitiorum.

Ultimo tandem debet esse ita perfectus, ut contineat in se omnem omnino illam Religiosam perfectionem, quam communicat, communicare vult, & tenetur suis novitiis. Quilibet enim Magister ita se habet respectu suorum novitiotum, sicut se habet causa aut principium respectu sui effectus. Sicut ergo ad hoc, ut aliqua causa vel principiū possit communicare aliquam perfectionem suo effectui, debet illam pro priori saltem aliquomodo continere; ita Magister instruens novitios si vult in eos, refundere perfectiones & qualitates vitæ Religiosæ, debet illas ipse prius habere,

bere, & illis perfectè quantum fieri poteſt excellere Idem Magiſter novitiorum eſt quoddam vivum exemplar, ex quo exempla, normam, formam, & methodum vitæ Religioſæ debent ſumere novitii; eſt imago ſui Iuſtituti, in quod aſſiduo debent convertere oculos plantæ novellæ; eſt quoddam ærarium gemmarum & clenodiorum ſpiritualium, ex quo indigentes & pauperes ſpiritu ditari debent, quomodo autem hæc omnia ab illo participabunt, ſi ille ipſe his dotibus caruerit?

§ III.

Quantæ & qualis ſcientiæ debeat eſſe Magiſter novitiorum.

Duo ſunt principalia fundamenta, quibus innititur, tota ſtructura diſciplinæ regularis, 1mum eſt virtus ſeu pietas conſiſtens in actibus voluntatis. 2dum, ſcientia conſiſtens in actibus intellectûs. His duobus fundamentis debet inſiſtere, & prælucere, quilibet novitiorum Magiſter; qualiter debeat præ-

prælucere primo fundamento? jā ostendimus, quando deduximus quantæ perfectionis debeat esse; qualiter autem debeat prælucere secundô fundamentô, seu scientiâ, facilè id ostendemus, quando deducemus qualis & quantæ scientiæ debeat esse.

1mo itaq; *Magister novitiorum* præsertim in Religione Apostolica ad dictum officium evectus, debet habere *scientiam Apostolicā.* Porro scientia Apostolica, est illla, quæ habetur non in persvasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs & virtutis, ut testatur de se ipso Apostolus dicens: *Sermo meus & prædicatio mea, non in persvasibilib9 humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam autē non hujus sæculi neq; Principum hujus sæculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientam, in mysterio quæ abscondita est, quam prædestinavit DEUS ante sæcula, in gloriam nostràm, quam nemo Principum hujus sæculi cognovit.* Qui ergo

1ma ad Corinth 2.

Magi-

Magiſtrum novitiorum agit, talem debet habere ſcientiam: ſcilicet non in perſvaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis fundatam, ſed in oſtenſione ſpiritus ſancti & virtutis Divinæ, ut fides novitiorum non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Jtem dictus Magiſter novitiorum debet habere ſapientiam quam poſſit loqui inter perfectos, hoc eſt inter tales viros qui in obſervantia & vita regulari perfecti conſummatiq; ſunt, debet inquam habere ſapientiam non hujus ſæculi, ſed ſapientiam Dei in myſterio, quæ abſondita eſt, quam prædeſtinavit DEUS ante ſæcula in gloriam noſtram, & quam nemo Principum hujus ſæculi cognovit.

2do Magiſter novitiorum debet habere ſcientiam eradicativam vitiorum in novitiis quæ in ſæculo contraxerunt, ſeu debet habere talem ſcientiam, vi cujus ſciat & perfecte noſcat quomodo vitia cum quibus adhuc in ſæculo contractis in Religionem venerunt, eradicanda ſint ac extripanda; ſicut enim Chriſtus Dominus veniens in mundum, proteſtatus eſt quod non venerit vocare

juſtos

justos sed peccatores, ita quælibet Religio imitando Christum Dominum, non intendit principaliter gremio suo incorporare justos, sed peccatores, & variis defectuum morbis obnoxios, qui ut sanentur, in qualibet Religione præficitur illis Magister, tanquam medicus. Proinde ut dictus medicus spiritualis possit eos rectè sanare, debet omnino habere scientiam eradicativam vitiorum seu morborum, quibus novitii alterantur. Medicus corporalis suscipiens curam infirmi, utiq; sine dubio debet scire principia, modos, & omnia cogitabilia media, quibus infirmus sanari possit, & morbus ejus eradicari, quodsi non habeat, & infirmi curam suscpiat; eundem non sanat, sed propria manu occidit: pari modo discurrendum est de spirituali medico curam infirmorum novitiorum suscipiente, quod nimirũ debet habere perfectam notitiam principiorũ regularum & omnium cogitabilium mediorum, quibus morbi sanari valeant, quod si illâ careat, novitios suos in anima ægrotos, non tam sanat, quàm potiùs occidit; vel majoris morbi periculo exponit.

3tio Novitiorum Magister debet habere scientiam instructivam, ædificativam & plantativam virtutum, seu talem vi cujus sciat plantare virtutes in novitiis. Fundamentum hujus sicut & prioris scientiæ in Magistro admittendæ est hoc, quia finis & officium Magistri novitiorum est non tantnm eradicare, evellere, destruere, & dispergere vitia, sed etiam instruere, plantare & ædificare virtutes in iisdem novitiis, sed de hoc jam infra diximus.

4to debet habere scientiam probativam novitiorum, seu talem vi cujus sciat probare novitios. Principalis enim finis principale officium & munus Magistri est, probare spiritum suorum novitiorum, hunc ergo finem ut rectè, utiliter & fructuose impleat, debet habere perfectam scientiam probandi. Ex defectu hujus scientiæ in Magistro novitiorum multa eveniunt detrimenta Religionibus. *Primum est* quod multi novitii non potentes sustinere imperitiam Magistri, nescientis probare, deserunt vocationem suam, & egrediuntur ex novitiatu. *Secundum detrimentum* est hoc,

quod

quod qui sub tali Magistro persistunt & perveniunt ad Professionem, rarò fiunt boni Religiosi, cum enim in novitiatu non fuerint bene probati in spiritu; nec plene ita sicut oportebat mortificati, ideo si post Professionem mortificantur, aut saltem ad ordinaria onera applicantur valde citò resistunt superioribus, vacillant in spiritu, de transitu ad alias Religiones cogitant, Professioni suæ se posse reclamare minantur, ex hoc loco in alium tranferri cupiunt, & cum nullibi superiorem ad suum gustum inveniunt, iterum vel ad priorem redeunt, vel sub hoc tristes vel incontenti miserabilem vitam ducunt. *Tertium detrimentum* est afflictio & tortura illorum superiorum, sub quorum jurisdictionem veniut post novitiatum, novitii malè in novitiatu probati, qui enim in novitiatu probati malè sunt; defacto malè probati sunt, vel in obedientia paupertate & castitate, vel in patientia, humilitate, subjectione, oratione, moderatione, inedia, frigore &c: Si malè probati sunt in obedientia: sine dubio non erunt suo Prælato obedientes perfectè

fectè

fectè, vel ſi obedient in aliquo, obedient in eo quod eis placebit: ſi malè probati ſunt in caſtitate defacto etiam ſub alio ſuperiore laxi & impudici erunt: ſi malè probati ſunt in paupertate; tunc quandocunq; illis deerit aliquid; ægrè ferent; ſi in patientia, humilitate & in aliis pariter insufficientem inſtitutionem acceperunt, nihil pati volent, obſequia humilitatis respuent, tempus orationis, meditationis, & aliarum devotionum fugient; ſi tandem in frigore vel inedia malè probati ſunt, commoditates varias prætendent, & cum ſaturati non fuerint, murmurabunt: quidquid deniq; zeloſus, prudens, & rectus Superior imperabit quod illi in novitiatu non probarunt, hoc totum vel eis grave videbitur, vel novum vel excogitatum à Superiore figmentum. Hos omnes defectus ſuorū ſubditorum malè olim in novitiatu probatorum ſi viderit ſuperior, impoſſibile eſt ut non affligatur, conſequenter ex mala & inſufficiente novitiorum probatione ſeu ex defectu ſcientiæ probativæ in Magiſtro, ſequitur afflictio & crudelis tortura Superiorum ad quorum

jurisdictionem tales novitii post novitiatum veniunt.

5to Magistrum novitiorum decet quidem Theologiæ Scholasticæ scientia, tamen ex vi officii ejus, hæc in ipso non requiritur: cæterum notitia Theologiæ moralis ita est in ipso necessaria, ut sine illa muneri suo satisfacere nequeat. Prædictus enim Magister est Judex, superarbiter, & ordinarius moderator conscientiarum suorum novitiorum, quod judicium siquidem nullo modo potest esse legitimum, sine adminiculo Theologiæ moralis, ideo hæc simpliciter est necessaria dicto Magistro. Ad Magistrum prædictum pertinet dubia novitiorum resolvere, inanes scrupulos sedare, perplexitates reparare, anxietates dissipare, probabilitates decernere, quid in quo casu sequendum sit ostendere? hæc autem omnia quomodo implere poterit, si Theologiæ moralis notitiâ destitutus fuerit.

6to Quilibet Magister novitiorum debet habere, omnem illam scientiam quam vult & tenetur suis novitiis communicare: nemo enim dat quod non habet,

habet, ut supra innuimus; si itaq; Magister novitiorum non habeat aliquam scientiam spectantem ad ejus officium, sine dubio non posset illam dare, proinde ut illam det, necessariò debet illā ipse pro priori habere.

7mo novitiorum Magister debet habere scientiam ac notitiam eorum Conciliorum, ac Decretorum à Summis Pontificibus latorum, in quibus descripta sunt illa omnia, quæ spectant ad reformationem Regularium, & piam institutionem novitiorum: sed de hoc jam supra innuimus.

§ IV.

Quid in omni Probatione novitiorum debeat indispensabiliter servare Magister eorum.

Multa sunt, quæ in probatione novitiorum debeat servare Magister eorum, & de his jam multa diximus, sed illud adhuc dicendum censeo, quòd ultra hæc omnia quæ jam innuimus, debeat adhuc servare Magister, in omni probatione virtutē discretionis seu prudentiæ. *Discretio enim* (ut docet Sanctus

ctus Bernardus) *est quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixq; affectuum & morum doctrix: Tolle hanc & virtus vitium erit, ipsaq; affectio naturalis in perturbationem magis pervertetur, exterminiumq; naturæ.* Jam autem juxta Cassianum discretio est non mediocris quædam virtus, quæ nec humanâ passim valeat industriâ comprehendi nisi Divina fuerit largitate collata. Hæc igitur discretio ita est necessaria in Magistro Novitiorum, ut si illa careat absolutè Magister esse non possit: discretio namq; seu prudentia (juxta Sanctum Augustinum) est illa virtus quæ bona discernit à malis, ut in illis appetendis istisq; vitandis nullus error obrepat; quomodo autem Magister discernet bonum à malo, si careat virtute discretionis & prudentiæ. Quodam tempore convenerunt plurimi seniores Patres ad B. Antonium in Thebaidis partibus commorantem. Cumq; à vespertinis horis protracta fuisset spiritualis collatio, quæstio de discrerione maximum noctis spatium consumpsit. Quærebatur autem inter eos, quænam virtus & observatio

virum

virum Religiosum à laqueis Diaboli possit custodire illæsum, vel ad Deum recto firmoq; tramite perducere. Cūq; pro captu sui intellectûs unus quisq; proferret sententiam in medium, & alii quidem hoc in jejuniorum vigiliarumq; studio, alii in nuditate & contemptu rerum collocarent, alii remotiorem vitam & secreta eremi esse petenda censerent, nonnulli autem inprimis sectanda esse charitatis & humanitatis officia definirent, cumq; in hunc modum pia contentione decertarent, jamq; maximum noctis tempus in hoc esset consumptum; tandem B: Antonius respondens universis dixit: *Omnia quidem hæc quæ dixistis necessaria sunt & utilia sitientibus Deum, sed his principalem tribuere gratiam, nequaquam nos innumerabiles multorum fratrum casus & experimenta permittunt: nam sæpe videmus Fratres tenentes has observationes, repentino casu deceptos fuisse, eò quia in bono quod cæperant, discretionem minimè tenuerint. Nec enim alia causa lapsûs eorum deprehenditur, nisi quia minus à senioribus instituti, nequaquā potuerunt*

rationem hujus discretionis adipisci, quæ viâ Regiâ docet incedere, & nec excessu continentiæ modum transire permittit, nec deflectere ad vitia concedit.

Ex dictis immediatè patet B. Antonium totam causam lapsûs ruinæq; spiritualis, refudisse in id quod multi viri spirituales minus perfectè instituti fuerint à senioribus de virtute discretionis: quare ut hic lapsus & ruina avertatur, seniores & Magistri novitiorum debent eosdem Novitios instituere ac instruere de virtute discretionis, ut autem bene instituant & instruant ipsi eâdem virtute discretionis debent esse præditi.

Ut autem hujus discretionis facilior usus habeatur, sciendum est in quo illa consistat. Discretio ergo superiorum & Magistrorum *imo consistit in hoc* ut ita bonum discernant à malo ut neq; in bonis svadendis, neq, in malis dissvadendis error ullius subrepere possit: unde inquit Granatensis. *Sicut Dialectica ad hoc potissimum inventa est, ne in veritatis inquisitione deciperemur, & ut vera ex verisimilibus discerneremus, ita*

nobis

nobis pro Dialectica discretio esse debet, ut veram virtutem a falsa virtute specie disjungamus, ne videlicet quod multis contingit, vitium virtutis specie nos fallat. Et hæc Dialectica est maximè necessaria Magistro, ut in novitiis sciat discernere veras virtutes à falsis; si enim falsas virtutes pro veris judicabit, & se ipsum & Religionem decipiet, judicando eos verè virtuosos, qui falsò virtuosi sunt, seu judicando eos capaces instituti Religiosi, qui à parte rei incapaces sunt.

2do discretio consistit in hoc ut nihil præcipitanter, nihil impetuosè, nihil furibundè agat, vel ordinet, sed omnia maturè, prævia ratione, consilio, ac deliberatione. Talis discretionis erat S. Jgnatius Fundator Societatis JESU qui (ut ait Historia) *Ratione & consilio plurimum utebatur, crebro usurpans à belluis hominem sola ratione differre, Unde ipse in omni actione, & finem actionis & media modosq; perfectissimos, eas perficiendi excogitabat.* Bene monet Thomas à Kempis: *Magna sapientia est non esse præcipitem in agendis nec perti-*

naciter in propriis stare sensibus. Lib: 1 de Imit: C: 4. §. 1.

3tio discretio Magistri vel cujuscunq; alterius superioris consistit in hoc, ut Magister discernat & cognoscat quantum unusquisq; ex subditis sustinere, portare & pati possit. Et talem se Magistrum exhibuit ipse Christus Dominus ut de se testatur Math: 10 dicens: *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Et alias oves habeo quæ nonsunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient,*

4to discretio Magistri consistit in hoc ut suis subditis non inponat onera nimis gravia & insubportabilia, sed nonnisi talia ad quæ ferenda potentes, capaces, & sufficientes sunt. Et talem discretionem servabat ipse Christus Dominus respectu Apostolorum, ut constat ex illius verbis ubi inquit ad Apostolos. *Tollite jugum meum super vos: jugum enim meum svave est & onus meum leve.* Unde Mathæi 23 reprehendit tales Magistros qui suis subditis onera insubportabilia imponunt, dum inquit

Super

Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis servate & facite, secundum opera vero eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt. Alligant autem onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominũ; digito autem suo nolunt ea movere.

5to. discretia Magistri consistit in hoc ut dum Novitiis imponit aliquod onus grave, statim eisdem provideat & porrigat media ad ferendum illud vel ipse illud una cum Novitiis ferat: Et hanc discretionis speciem, servavit Christus Dominus cum Apostolis, quibus imposuit quidem aliqua onera ex parte gravia, cæterum simul providit illis media ad illa ferenda, nempe subministravit illis auxilia supernaturalia, gratiam sanctificantem, habitus infusos, item gratias prævenientes, comitantes, subsequentes, &c: quibus omnibus adjuti Apostoli, omnes difficultates & pericula vicerunt. Unde quando eos mittebat ad prædicandum Evangelium, prohibuit de hoc cogitare quid corã infidelibus illis essent locuturi. *Nolite cogitare quomodo*

aut quid loquamini non enim vos estis qui loquimini sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis: & simul addit: *dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Non solum autem providit illis media supernaturalia sed etiam naturalia & ordinaria sic ituris in orbem universum, prohibuit ut neq; aurum neq; argentum neq; pecuniam in zonis, neq; peram in via neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgam portarent: sed simul ita ordinavit ut illis necessaria omnia ad victum & amictum ubiq: darentur dicendo. *Dignus enim est operarius cibo suo:* Sicut autē illis providit media in utroq; ordine tam naturali quam supernaturali, ita onera illis imposita cum illis portavit eosq; in illis ferendis adjuvit, ut constat ex illis ipsius verbis: *sine me nihil potestis facere*: & ex illis: *vobiscum sum usq; ad consummationem sæculi.* Hanc totam discretionem juxta sphæram suam debet servare quilibet Magister, & ita se cum Novitiis gerere, sicut se aliquando prudentes gerunt Professores cum Discipulis, quibus dum arduas difficultates resolvendas objiciunt, tum ipsi

quoq;

quoq; demonſtrant viam, modum, & rationem, qualiter eas difficultates diſcipuli reſolvere poſſint.

6to *Diſcretio Magiſtri* in hoc conſiſtit, quod dum novitii in aliqua re vel negotio delinquunt, non ſemper omnino exigat pœnam vel ſatisfactionem ad æqualitatem, hoc eſt in omnibus & ſuper omnia tantam, quantum eſt delictum, ſed delinquentes aliqua ex parte arguat, aliqua ex parte puniat, aliqua parcat, aliqua diſſimulet, aliqua quaſi non videret fieri permittat. Hâc diſcretionis formâ uſus ipſe Chriſtus Dominus cum Apoſtolis. Satis graviter deliquit Petrus quando ſuum Magiſtrum ter abjuravit, & tamen Chriſtus Dominus non damnavit eundem in inſtanti, nec detruſit ad infernum, nec delevit ex Collegio Apoſtolico, ſed eum benignè reſpexit, & Petrus fleuit amarè, iſtoq; fletu & pœnitentiâ contentus erat Chriſtus Dominus pro peccato contra ſe commiſſo. Pari modo Judas graviter peccavit qui proprium Magiſtrum ſuum JESUM prodidit, & vendidit ad mortem. Cæterum JESUS ineffabili diſcretione uſus eſt

erga

erga ipsum: nam imo cum sederet ad mensam cum aliis Apostolis in cænaculo, licet sciverit de proditione futura per ipsum perpetranda, tamen ipsi suum corpus & sangvinem sicut & cæteris Apostolis concessit, pedesq; ipsius, sicut & aliorum lavit: nec manifestè exprobravit Judæ dicendo v.g. Ego scio quod me traditurus sis, ego certus sum quod tu sis futurus proditor meus &c: sed valde discretè monuit Judam dicendo in communi. *Unus ex vobis me tradet.* Tandem cum idem Judas venerit cum legione militum, ad tenendum JESUM, non confudit eum JESUS, nec duris vel asperis verbis increpavit, sed ei Paternum osculum præbuit, eumq; nomine amici compellavit dicendo: *Amice ad quid venisti.* Similem discretionem servavit Christus Dominus cum illa muliere comprehensa in adulterio, contra quam dum instarent scribæ & Pharisæi dicentes: *Magister hæc mulier modo deprehensa est in adulterio, in lege autem Moyses mandavit nobis, hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? JESUS autem inclinans se deorsum scribebat in terra. Cũ ergo*

ergo perseverarent interrogantes erexit se & dixit eis. Qui sine peccato est vestrûm primus in illam lapidem mittat, & iterum se inclinans scribebat interra. Audientes autem hæc, unus post unum exibant incipientes à senioribus & remansit solus JESUS & mulier in medio stans, erigens autem se JESUS dixit ei; mulier ubi sunt qui te accusabant? nemo te condemnavit? Quæ dixit nemo Domine. Dixit autem ei JESUS: nec ego te condemnabo. Vade & jam amplius noli peccare. O quam pulchrum discretionis exemplum in Christo Domino: hunc igitur imitentur Magistri, hunc sequantur superiores ac Prælati, & nunquã in regendo errabunt. Quando igitur continget aliquem accusari, tunc Magister antequam puniat, in omnes partes oculos convertere debet, & discernere circumstantias, occasiones, & qualitates delictorum & delinquentiũ, an ex infirmitate an ex malitia peccaverint, quibus omnibus bene perspectis, quantum fieri potest sphæram discretionis non excedat. Quod autem in puniendis, idem proportionatè servandũ est in arguendis, admonendis, & corri-

gendis

gendis subditis: aliqui enim magis ægrè ferunt durum indiscretum & scommaticum verbum, quam severam & rigorosam pænam, proinde in arguendo etiã verbis ut nummis utendum est, & sic omnia temperanda, ut in singulis Paterna discretito emineat.

7mo discretio Magistri consistit in hoc, ut se non exhibeat horridum, tristem, & continuo asperum, sed affabilẽ & omnibus se accommodan tem. Talis discretionis erat S. Ignatius, qui tristẽ, & horridam sapientiam semper vitabat, quantum potuit se ad communem consvetudinem accommodans, ita ut ejus mores primâ fronte intuentibus, unus aliquis è populo videretur esse.

8vo discretio Magistri consistit in hoc ut non sit valdè suspiciosus, vel timidus, ita tamen circumspectus, ut in nullo negotio ordinando & disponendo circa Novitios, possit errare. Talem discretionem adhibebat S. Augustinus ut colligi potest ex illius verbis: *Ecce quomodo venimus? nulli liceat in Societate nostra habere aliquid proprium sed si forte aliqui habent, nulli licet.* *Bene autem*

sentio

sentio de Fratribus meis, & semper bene credens ab hac inquisitione dissimulavi, quia ista quærere, quasi male sentire mihi videbatur. Noveram enim & novi omnes, qui mecum viverent, nosse propositum nostrum, nosse legem vitæ nostræ. Eandem descretionem practicabat S: Jgnatius, qui *non erat quidem in agendo cum aliis suspiciosus aut timidus, attamen valde circumspectus ac providus, ut illi non facilè quisquam posset imponere.*

9no discretio Magistri consistit in hoc, quod dum aliquis Novitius videtur, non posse, vel nolle rigorem vitæ Religiosæ sustinere, eum non cogat, nec violenter illi persvadeat, sed spectatis circumstantiis Personarũ, permittat illi suum velle agere. Hac discretionis methodo utebatur Sanctus Augustinus ut ipse testatur dicens: *Sanè hoc etiam noverit charitas vestra, dixisse me Fratribus meis, qui mecum manent, ut quicunq; habet aliquid aut vendat, aut eroget, aut donet, & commune illud faciat, Ecclesiam habet per quam* DEUS *nos pascit. Ego dedi dilationem usq; ad epiphaniam, propter eos qui vel cum Fratribus non divise*

sunt

runt, & dimiserunt, quod nunc apud fratres suos vel nondum de re sua aliquid fecerunt, quia expectabatur ætas legitima. Faciant inde quod volunt, dum tamen sint pauperes, mecum simul expectantes misericordiam Dei: si autem nolunt, qui fortè nolunt, certè ego sum qui statueram sicut nôstis, nullum ordinare Clericum, nisi qui mecum vellet manere: aut si vellet discedere a proposito, rectè illi tollerem Clericatum, quia desereret Sanctæ Societatis promissum, cæptumq; consortium. Ecce in conspectu Dei, & vestro, muto consilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quia non sufficit DEUS & Ecclesia sua, maneant ubi volunt, & ubi possunt, non eis aufero Clericatum. Nolo habere hypocritas, malum enim esse quis nescit? malum est cadere à proposito, sed pejus simulare propositum. Taliter sibi procedat Magister, cum novitiis, quando videt, quod aliqui vacillent; persvadeat leniter quantum potest: quod si pertinaces fuerint in suo placito, permittat ut maneant ubi volunt, & redeant qui volent, melius est illis in Societate carere, quam habere, & hypocritas esse.

10 discretio Magistri in hoc consistit, ut dum circa Novitios eorumq; vocationem occurrit aliquid decernendum, non faciat hoc in instanti, sed ad aliud tempus reservet; & tali modo, quod ratio nequit, sæpe sanabit mora. Hanc discretionem in praxi tenuit S. Jgnatius, de quo Ribadeneira testatur. *A cœna in sequentis diei negotia disponebat. Cum omnia pietatis opera ad salutem proximi spectantia complecti non posset, magno delectu præferebat publica privatis, perpetua iis, quæ ad tempus fiunt, certa incertis, secura periculosis: neq; tam videbat, quantæ res ipsæ essent quam quantum spei ad eas conficiendas ostenderetur. Hinc ajebat, non res nobis, sed nos rebus accommodari debere.* Lib: 3. C. 11.

11mo Discretio Magistri consistit in hoc ut Novitios de aliquib9 vitiis in seculari vita contractis, non violentè arguat vel corrigat sed leniter & paulatim: laudando eos interim si quæ bona fecerint, & post modum ad corrigenda vitia sensim descendendo. Taliter faciebat idem S. Jgnatius, ut de ipso testatur Historia Societatis: *Jn vocandis hominib9 ad virtutē suis armis petendum sathanam*

dicebat; ſicùt enim ille animam juſti, non continuo apertis armis & inſidiis, ſed recto oppugnat, nihil primo bonis actionibus adverſando imo multa quæ honeſti ſpeciem præbent, ſuggerendo, Donec tandem incautum decipiat; ita in alliciendis ad ſalutem animis, laudanda prudenter initio in hominibus, quæ ſunt recta, vitiis parumper intactis, ac leniter in eorum gratiam irrependum: quâ conciliatâ, tum demum admovendam medicinam. Ajebat ſanctitatem per ſe ſolam valere plurimum, ſed niſi cum prudentia, agendiq; cum hominibus modo, conjuncta ſit; mancam fere ac infirmam, plusq; ſæpe exquiſitam cum mediocri ſanctitate prudentiam, in Gubernatore efficere, quàm ſanctitatem majorem, cum prudentia minori. Cenſebat eos, qui in rebus Divinis nimis prudentes eſſe volunt, haud ſæpe magna præſtare: nunquam enim ſe ad ea quæ pulcherrima ſunt, amoturum illum, qui earum difficultates & ancipites eventus ſcrupuloſè cogitat aut indè nimis reformidat. Et certè ſi tali diſcretione utentur Magiſtri cum ſuis Novitiis, majorem orbis partem traherent ad ſuum inſtitutum,

ſicut

sicut traxit S. Jgnatius. Hac discretione adhuc ante S. Jgnatium videtur usus fuisse Sanctus Paulus dum inquit: *Ego vos non gravavi, sed cum essem astutus, dolo vos cæpi.* Taliter astuti debent esse Magistri novitiorum (& omnes superiores) ut qui apertè in rete Christi piscari non possint, dolo eos salutari capiant, & lucrentur animas eorum

12mo Discretio Magistri consistit in hoc, ut si novitii ab initio tententur, in parvis; ea parva vel minuta concedat, servatis tamen ex Regula servandis; postquam autem contraxerint Religionis consvetudinem, ad communem sortem & praxim eos reducat. Talis discretionis erat S. Franciscus Borgias, de quo testatur Historia: *Si qui Societati nomen dare vellent, minimisq; rebus (ut fit) initio urgerentur, quominus se totos addicerent largiri illis minuta funemq; concedere, salva tamen Religione, & spe commodi majoris solebat: gnarus futurum ut tempore ipso, exigua illa & parva, veluti nebulæ dissiparentur.*

13 Discretio Magistri consistit in hoc ut non credat omnibus illis quæ

de novitiis referuntur, sed ipsam rem bene scrutetur & investiget antequam credat hoc præcavet Thomas à Kempis: *non est credendum omni verbo & instinctui: sed cautè longanimiter res est secundùm Deum ponderanda.*

14to Discretio Magistri consistit in hoc, ut coram novitiis nihil leviter, nihil temere, nihil inconsideratè loquatur, donec prius bene recogitet, quid inde secuturum sit. Rex quidam Iuvenis cum nundinas transiret, forte senem conspicatus vacuæ mensæ assidentem, quid ibi ageret? interrogavit: cumq; is sapientiam se venalem habere dixisset; gavisus responsô, pro centum marcis sibi sapientiam vendi petiit. Cui senex, Unum (inquit) tibi pro statuto pretio dicam, quod si bene tenueris optimè regeris & reges. *Temere nihil loquaris, temere nihil attentes, nisi prius cogites, quid sequatur.* Quod ubi Rex audivit, mox pretium solvi, & verba hæc omnibus januis superliminaribus, & vasis inscribi jussit, sapientissimèq; populum sibi subjectum gubernavit. Quia vero plebẽ

Cantipratamus lib: 2. C. 43. p. 3.

ab

ab injuſta vexatione liberare ſtatuerat, illi in ſeditionem verſi, Tonſorem pecuniis corruperunt, ut Regem raſurus, novaculâ ei guttur abſcinderet. Quod cum ille conſtituto die jam jam moliretur, lecta in pelvi ſententia: *Temere nil attentes prius, quam conſideres quid ſequatur?* cohoruit: cauſamq; horroris dicere à Rege juſſus, cum ſponte nollet, per tormenta fateri coactus eſt. Rex ergo ſic liberatus à morte, conſilium à Philoſopho datum amplius ſuſpexit, ejusq; auxilio feliciter gubernare perrexit. Rex præfatus tantum centum marcas pro ſapientia regendi dedit: ego darē milliones infinitos marcarum ſi hanc ſapientiam, diſcretionem regendi acquirere vellent omnes Magiſtri: ſi ergo illi bene regere volunt & regi, hoc ſemper præ oculis habeant: *Temere nil loquaris, temere nil attentes* niſi prius cogites quid ſequatur: Et ſic & ſe ipſos à periculo liberabunt, & novitios non ſcandalizabunt totumq; ſuum regimen feliciter adminiſtrabunt.

isto Diſcretio Magiſtri conſiſtit in hoc: ut tunc dū ei tentationes ſuas credunt

Novitii sciat eis occurrere, & tentatos leniter consolari studeat, alias si nesciet, & crude se vel aspere cū illis geret, citius Novitios ad desperationem, quàm ad perseverantiam deducet. Testantur Vitæ P.P. Parte 2da libro contra fornicationem: quod quidā Frater cum valde à fornicationis Dæmone turbaretur, venerit ad quendam senem & retulerit ei cogitationes suas. Senex hoc audiens indignatus est, & miserabilem dicebat esse Fratrem illum, & indignum habitu Monachi, quod tales cogitationes reciperet. Et hæc audiens Frater, desperans se ipsum, reliquit propriam cellā, & ad sæculum jam redibat. Secundùm autem dispensationem & providentiam Dei, occurit ei Abbas Apollo, & videns eum perturbatum, nimiumq; tristem, interrogavit eum dicens: Fili quæ est causa tantæ tristitiæ tuæ? ille autem ex multa confusione animi sui non respondit ei quidquam. Cum autem multum rogaretur à sene, quæ circa se agerentur, confessus est dicens: quia cogitationes fornicationum inquietant me, & confessus sum seni illi, & secundum

verba

verba ejus jam mihi spes salutis non est, desperans ergo me ipsum, ad sæculum redeo. Hæc autem P. Apollo audiens velut sapiens medicus; multum eum rogabat & monebat dicens: noli mirari fili neq; desperes de te ipso, ego enim in hac ætate atq; conversatione, valde ab hujusmodi cogitationibus inquietor: nè ergo deficias in hujusmodi occasione, quæ non tam humana sollicitudine, quàm Dei miseratione curatur: tantum hodie dona mihi quod peto, & revertere in cellam tuam. Fecit autem ille Frater sicut petebatur: Abbas autem Apollo discedens ab eo, perrexit ad cellam illius senis, qui ei desperationē fecerat, ac desperationis ejus causa fuit: & stans foris deprecatus est Dominum cum lachrymis dicens: DEUS qui tentationes utiliter infers, converte bellū quod patitur Frater ille, in hunc senem, ut per experimentum discat in Senectute sua, quando per tam longum tempus adhuc non didicit, quomodo debeat compati illis, qui talibus tentationibꝰ perturbantur. Dum ergo Abbas Apollo orationem complevisset, vidit Æthyopē

ſtantem juxta cellam, & ſagittas dirigentem contra illum ſenem, quibus ille ſenex quaſi perforatus ſtatim tanquam ebrius à vino, huc atq; illuc ferebatur. Et cum non poſſet tolerare præfatam tantationem, egreſſus eſt de cella ſua eadem via, qua & ille Iuvenis ad ſæculum redibat, Abbas autem Apollo intelligens quid factum fuerat, occurit ei & accedens ad eum dixit: quo vadis & quæ cauſa perturbationis tuæ quæ obtinuit te? Jlle autem ſentiens quod intellexiſſet Sanctus Vir, quid ei evenerat, præ verecundia nihil dicebat. Dixit autem ei Abbas Apollo, revertere in cellam tuam, & de cætero agnoſce infirmitatem tuam, & cogita apud temet ipſum quia ignotus fueris à Diabolo, uſq; autem modo impetitus es ab ipſo, propter quod nec meruiſti ſecundum vires virtutum habere contra diabolum luctamenta. Quid autem dico luctamenta? qui nec una die aggreſſionem diaboli portare potuiſti? hoc autem tibi ideo contigit quia Iuvenem illum à communi adverſario impugnatum, cum debuiſſes contra diabolicum

certa-

certamen verbis consolatoriis menere & confortare, tu eum in desperationem perduxisti: non cogitans illud sapientissimum præceptum, quo jubemur eripere eos qui ducuntur ad mortem; & iterum non negligas redimere occidendos, sed neq; parabolam Salvatoris nostri dicentis: arundinem quassatam non debere confringi, & lignum fumigans non extingvi. Nemo enim ferre posset insidias adversarii, neq; ebullientis naturæ ignem exstingvere vel retinere, nisi Dei gratia conservaret infirmitatem humanam, quæ in nobis salutari dispensatione cuncta disponit; omnes ergo Dominum deprecemur, ut & adversũ te dimissum flagellum avertat, quoniam ipse & dolere facit & iterum saluti restituit: percutit & manus ipsius sanat, humiliat & exaltat, mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Hæc dicens orationem implevit, & statim ab illato sibi bello senex ille liberatus est, quem admonuit Abbas Apollo, ut peteret sibi dari lingvam eruditã, quatenus sciret tempus quo operteret loqui sermonem.

Quod contigit huic seni tentationum carnalium ignaro & inexperto, hoc plerumq; contingit Magistris nondum perfectè versatis in via spirituali: veniunt ad eos Novitii & credunt tentationes suas quibus impugnantur, Magistri autem ac Directores eorum, in talibus tentationibus nondum practici, audita eorum relatione indignantur, & indignos habitu religioso pronunciant; Novitii autem taliter confusi de sua perseverantia desperant, & plerumq; ex occasione Magistrorum indiscretorum ad sæculum redeunt; Ne igitur Magistri sint causa desperandi vel egrediendi Novitiis, debent esse cauti & orare Deum optimum Maximum, ut illis det linguam eruditam, quomodo sibi debeant procedere cum Novitiis in tentationibus eorum, quomodo & quid coram illis loqui debeant, alias si hoc non curaverint, digni sunt ut DEUS permittat in illos tales tentationes & angustias, qualibus impugnantur & ipsi novitii.

Scribit S. Joannes Climacus de Joanne Abbate; Grad: 4to de obedientia

folio 83 quod cũ aliquando idem Abbas Joannes ſederet in Monaſterio S. Sabbæ, acceſſerunt ad eum tres adoleſcentes diſcipuli illius fieri volentes, quos continuo hoſpitio lætiſſimè ſuſcepit, omnibusq; humanitatis officiis proſecutus eſt, volens illos ex itineris labore recreare. Poſt diem ergo tertium dicit eis ſenex: Jgnoſcite mihi fratres, quia homo malignus ſum, nec poſſum ex vobis quempiam ſuſcipere. Jlli vero nihilominus ſcandalizati non ſunt, ſciebant enim ſenis opera. Sed cum maximis precibus, ut ſe ſuſciperet, obtinere non poſſent, proſtrati jam ante pedes ejus obſecrabant, ut vel vivendi normam eis traderet, quo in loco & quomodo habitare debuiſſent. Ceſſit Senior ſciens, quod cum humilitate ad obtemperandum parati id peterent. Aitq; uni. *Vult Dominus te ô fili in ſolitariis locis, cum Patre in ſubjectione perſiſtere.* Secundo autem dixit: *Abi vende voluntates tuas & Domino da, & tollens Crucem tuam perſiſte in Conventu & cænobio fratrum & omnino habebis theſaurum in cælo.* Deinde dicit & tertio: *Aſſume in animo*

tuo

tuo insuperabiliter & tota intentione verbum illud: Qui perseveraverit usq; ad finem hic salvus erit. Jn intimis viscribus reconde, abiensq; si fieri potest eum exercitationis tuæ in Domino ducem ac Magistrum quære, quo in omniũ mortalium natura nullus sit asperior aut gravior, sub quo perseverans jugiter objurgationes, & irrisiones quotidie ut mel vel lac bibe. Ad quem Frater ille inquit: Si hujusmodi negligens fuerit, quid facio Pater? & si fornicari inquit illum videris, noli discedere, sed ad te conversus dic. Amice ad quid venisti? Tunc aspicies tumorẽ tuæ mentis dissipari, excandescentiamq; mitescere. O! si modo tales invenirentur Magistri ac Directores qui venientes ad Religonem adolescentes sufficienter instruere possent, eorumq; spiritum ita discernere, cognoscere, ac penetrare valeant, ut ex primo eorũ intuitu sciant & percipiant, ad quid unusquisq; illorum propensus & inclinatus sit? defacto sub talibus Magistris & Religiones felicius ampliarentur, & Novitii uberrimè proficerent, fieretq; tandem ut Monasteria & conventꝰ

tali

tali modo purgarentur, vel potius præservarentur à discolis, scandalosis, refractariis, ebriosis, laxis, & distortis subjectis: quæ si aliquando in aliqua Religione comperiantur, hoc potissimum & originaliter provenit, ex defectu discretionis in Magistris Novitiorum, quod hi non discernant naturas & inclinationes subjectorum, eaq; multa sine omni delectu ac differentia suscipiant.

1060 Discretio Magistri consistit etiam ut in correctione, admonitione, & omni instructione Novitiorũ à verbis duris, scommaticis, crudis, sæcularibus, & laxis abstineat: & talem discretionem demandat Sanctus Augustinus dicens in Regula sua. *Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ore ipso proferre medicamenta unde facta sunt vulnera.* Potest quidem aliquando etiam Magister uti verbis asperioribus & ponderosis, exemplô Christi discipulos euntes in castellum Emmaus, increpantis, *O stulti & tardi corde ad credendum.* Et exemplo S. Pauli Galatas arguentis. *O insensati Galatæ quis vos fascinavit non*

obedire

obedire veritati! sic stulti estis ut cum spiritu cæperitis, nunc carne consummemini! Ceterum quantum fieri potest, potiùs verbis lenibus, blandis, svavibus quàm asperis, utatur, juxta monitum Regulæ Sancti Augustini: *Plus tamen à vobis appetat amari quam timeri.*

Pro complemento dictorum de discretione adfero hic verba S. Gregorii Homilia in Ezechielem 22 qui loco præfato sic inquit: *Sæpe contingit ut Doctor regulam disciplinæ quam scit docere, nesciat tenere: cum aut nimio Zelo motus, minùs se per mansvetudinem temperat; aut nimia mansvetudine placidus minùs se contra vitia, per zeli stimulum inflammat. Magna enim consideratione debemus pensare quod scriptum est. In vasis enim templi, inter coronas & plectas, boves & Leones & Cherubim exculpta sunt! plectæ autem concordiæ unanimitatem significant; Cherubin vero plenitudo scientiæ dicuntur. Sacerdotes enim & Doctores inter coronas & plectas, idest inter fortitudinem boni operis, quo ad victoriam currunt, & Charitatis concordiam, qua à se vicissim non discrepant, per boves & leones atq;*

Cherubin

Cherubin designati sunt, quoniã inter plenitudinem scientiæ quam habent, necesse est ut & boum mansvetudinem habeant, & fervorem leonum: quatenus ad disciplinam, quam prædicant, & ex sancto zelo accensi sunt, & ex paterna dulcedine tranquilli. Quibus etiam subter se lora dependeant, ut disciplinæ suæ retinacula quibus ipsi ligati sunt etiam subjectis suis sollicitè impendant, super eos enim lora dependere, est custodiæ vincula in subditis tenere. Quæ tunc rectè servantur, cum nec boum mansvetudo, in zeli fervore amittitur, nec leonum terror in mansvetudinem declinatur. Tanta quippe debet esse discretio, ut nec disciplina nimia, nec ipsa quoq; misericordia sit remissa ne si inordinate culpa dimittitur, is qui est culpabilis, in reatu gravius astringatur. Et rursus, si culpa immoderate retinetur: tanto qui corrigitur fiat deterior, quanto erga se nihil ex benignitatis gratia agi considerat: exhibenda itaq; gravis est asperitas in ostensione: caritas in mente: ut & dura ostensio delinquentem coërceat, & caritatis gratia mercedem Mansvetudinis non amittat.

Ecce dum hæc loquor, Joseph animũ

pulsat, ut ad ostendenda quæ dico ipse testis veniat certe somnium, quod de profectu suo viderat fratribus narrans, per hoc quod innocenter retulit, malitiæ contra se stimulos excitavit. Idem à Fratribus venditus Ismaëlitis, & in Ægyptum ductꝰ mira Dei omnipotentis dispensatione, in Ægypto prælatus est. Cumq; in terra Chanaam fames exsurgeret, fratres ad Ægyptum venientes, Joseph prælatum Ægypto repererunt, eumq; submissis ad terram cervicibus adoraverunt: quem ne adorarent ideo vendiderunt: adeo consiliũ Dei mutari non valuit. Tunc Joseph spiritu discretionis plenus, cognovit fratres non cognitus, Sed memor culpæ & remissor injuriæ, mala fratrum nec reddere studuit, nec sine castigatione laxare. Nam suspecta voce protinus dixit; Exploratores estis ut videatis infirmiora terræ venistis. O jaculum in corde! Peregrini venerant famis periculum fugiebant: frumenta quæ quærebant non acceperant, & feriri se insuper jactatione criminis videbant. Inter hæc ducuntur ad carcerem, & post triduum adhuc in eadem asperitate tenentur. Iam reditur ad cor, jam culpæ memoria pulsat animum: atq; inter se invicem loquuntur,

Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius, cum deprecaretur nos & non audivimus; idcirco venit super nos ista tribulatio. In his autem cor Joseph amore vincitur, secessum petit, solvit flendo, quod pietati debuit. Severus ad fratres revertitur, ut cruciatas eorum animas à culpa liberaret. Post hæc unus relinquitur in vinculis, dimittuntur cæteri cum frumentis, ut unus frater veniat quem minimum habere se dixerant, qui etiam postmodum venit. Vincebat mentem pietas, cum frater innocens videretur. Sed permanebat in ostensione asperitas, ut fratres noxii purgarentur. Frumenta dantur, scyphus in sacco Benjamin absconditur, furti post eos quæstio movetur. Mittitur ut reducantur in servitutem, decernitur apud quem scyphus fuisset inventus: in sacco Benjamin invenitur, tunc Benjamin reducitur, afflicti omnes fratres, sequuntur. O tormenta misericordiæ! cruciat & amat. Reversi igitur in terrã cũ lachrymis, prostrati veniã postulant. Memores enim quid de illo Patri promiserant, mærore intolerabili tabescebant. Tunc se ultra cohibere non valens pietas clausa, prorupit in medium,

& excussit caritatis lachrymas de vultu severitatis. Detersa est ira, quæ apparebat, & non erat; ostensa est misericordia quæ erat, & non apparebat. Sic vir sanctus facinus fratrum suorum & dimisit & vindicavit. Sicut rigore clementiam tenuit, ut delinquentib9 fratrib9 non sine ultione pius existeret, nec sine pietate districtus. Ecce hoc est in Magisteriũ disciplinæ: ut culpis & discrete noverit parcere & eas piè resecare. Qui autẽ discretionẽ spiritus non habent, ut sic dimittant peccata ut non corrigant, aut sic quasi corrigendo feriunt ut non dimittant. Hacten9 dicta de Probatione activè sumpta, sufficiant, de Probatione autẽ passivè sumpta, seu de eo quomodo Novitii debeant seipsos probare & absolvere Novitiatũ, agetur in P. 3tia Vitæ Apostolicæ.

Protestatio Authoris.

Sicut firma fide credo, quòd sancta Romana Catholica & Apostolica Ecclesia sit infallibilis Interpres & Judex omnium veritatum in quacunq; materia adferibilium; ita quæcũq; hîc dicta sunt, omnia volo intelligere juxta sensum sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ, illiusq; supremo Judicio omnia subjicio.

F I N I S.

Errata Typi ſic corrige.

Paginâ 2. Verſu 6: probatiane lege: probatione.
p. 3. V. 9 magnifeſtare l. manifeſtare.
p. 2. v. 8 ſub jungit l. ſubjungit.
p. 24. v. 18 ſuperbi l. ſuperbia.
p. 35. v. 7. aceſſeris l. acceſſeris.
d. 40. v. 20. ſectiones l. puncta.
p. 69. v. 17. toto; corde tuo l. toto corde tuo;
p. 94. v. 10. factum eſt ipſi9 l. factũ ipſius;
p. 116. v. 24. Denitq; l. Deniq;
p. 122. v. 26. DDUS l. DEUS.
p 122. v. 18. appropinquabit l. appropinquavit.
p. 134. v. 25. ordinarit l. ordinavit.
p. 143. v. 5. quod l. quò.
p. 159 v. 22. inveſtigabunti l. inveſtigabunt.
p. 161 v. 12. ſi l. ſint.
p. 165 v. 7. Belila l. Belial.
p. 185 v. 25. venia l. venit.
p. 189 v. 11. & l. ei
p. 191 v. 12 anicuiq; l. unicuiq;
p. 213 v. 8 ſicut l. ſit, ut
p. 228 v. 23. credent l. credant.
p. 229 v. 1 Gide l. Fide.
p. 248 v. 6. Regum l. regnum

p. 248 v. 15 Magiſteri: l. Magiſtri
p. 317 v. 1. inſtruendo l. inſtrnendi.
p. 323 v. 25 Urbini l. Urbani.
p. 328 v. 6 ita l. itaq;
p. 328 v. 8 ſommo l. ſomno
p. 329 v. 2 muns l. munus
p. 333 v. 12 cenſeſo l. cenſeo
p. 339 v. 20 ſincerea l. ſincera.
p. 341 v. 21 addiſcendi l. addiſcendæ.

Reliqua, præſertim minora, quæ oculum fugerunt, aſſequetur facilè ac corriget Lector Benevolus.